De amphorarum inscriptionibus Latinis quaestiones selectae.

Dissertatio inauguralis

quam

consensu et auctoritate

amplissimi philosophorum ordinis

in

Universitate Fridericia Guilelmia Rhenana Bonnensi

ad

summos in philosophia honores

rite capessendos

scripsit

Petrus Remark
Ueberherrnensis (Bor. Rhen.)

promotus die 17. Okt. 1912.

Tubingiae
Typographica H. Laupp jr
MDCCCCXII.

De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
Prof. Dr. Elter

Amico academico Dr. Schuemmer

sacrum.

De amphorarum inscriptionibus Latinis quaestiones selectae.

A scriptoribus Romanis imprimis panegyricis imperatores atque imperium Romanorum praedicari solent, quod omnibus locis omnia abundent, quodque terra marique merces vel ex longinquissimis regionibus omnes in terras advehi possint. Atque Romam praecipue omnia advecta esse mirum non est, cum in maxima urbe legati vel mercatores vel peregrini omnium nationum regionumque versarentur[1]), quibus suae cuique patriae fructus praesto essent, et ipsi Romani, qui alienis ex terris cum divitiis et luxuria notitiam usum desiderium omnium rerum merciumque domum attulerant, eas quovis pretio sibi comparare consuevissent (de varietate gentium atque mercium urbis cf. etiam Apoc. 18, 10 sqq.). Itaque mercatores Italici atque externi horrea Emporii variis fructibus vel ex Indis ipsis allatis implebant, ita ut Iuvenalis suo iure exclamaret (sat. 14, 275 sqq.): '*Aspice portus Et plenum magnis trabibus mare: plus hominum est iam In pelago. veniet classis quocumque vocarit Spes lucri*'[2]).

Quomodo autem commercium institutum fuerit, quae viae rationesque eius, quibus temporibus maxime floruerit, neque ex libris Plinii neque ex Edicto Diocletiani neque ex codice Theodosii aut aliis ex scriptis satis dilucide apparet, cum antiqui de commercio et commercii geographia non ea cum cura rettulerint, quam nos his rebus cognoscendis impendere solemus. Ex omnibus autem, qui de antiquorum commercio scripserunt[3]) imprimis E. Speck (Handelsgeschichte des Altertums, Leipzig 1905/6) eas res accura-

1) Cf. Mart. ep. I 3 '*Quae tam seposita est, quae gens tam barbara, Caesar, Ex qua spectator non sit in urbe tua*'.

2) Cf. Henr. Stephan, Das Verkehrleben im Altertum, in Raumers Histor. Taschenbuch 4. Folge 9. Jahrg. 1868 p. 120 et Friedlaender, Sittengeschichte II p. 3.


3) Cf. Voigt, Die Röm. Privataltert. p. 906; Daremberg-Saglio, Diction. III 1783 s. v.; Bluemner, Die Röm. Privataltert. p. 618.

tius tractare et compluribus voluminibus exponere studuit. Sed cum, quos sequatur auctores, quibusque usus sit fontibus, non indicet, libri eius, quamvis utiles atque praestantes, tamen ad subtiliorem eius scientiae cognitionem ac rationem minus sunt idonei. Quot quantasque autem difficultates ea disciplina praebeat, cum res atque instrumenta ad has res describendas necessaria maxima ex parte perierint, quis est qui ignoret?

Maxima vero et omnibus scriptoribus certe luculentiora adiumenta ad Romanorum commercium illustrandum nobis praebent et papyri Aegyptiae nunc tandem recuperatae et inscriptiones Latinae dudum cognitae. Atque quae papyri de his rebus nos doceant, nuper egregie exposuerunt L. Mitteis et U. Wilcken (Grundzüge und Chrestomathie der Papyruskunde, Leipzig-Berlin 1912), qui de re vehicularia et frumentaria l. l. I 1 p. 372—380; I 2 p. 435—518; de negotiis commercioque I 2 p. 299—326; de emptionis ratione II 1 p. 190—192, II 2 p. 287—305 exposuere. Inscriptiones autem, ex quibus hauriendum est omnibus qui de hominibus antiquis atque de rebus publicis privatisque agunt, etsi cum editores Corporis Inscriptionum (praesertim vol. XV part. II, XIII, IV, quae ediderunt Dressel, Hirschfeld, Mau) aut syllogarum (in quibus eminet H. Dessau, Inscr. Lat. sel. 1906 sqq.) tum rerum Romanarum scriptores velut Mommsen (Röm. Gesch.), Hirschfeld (Kaiserliche Verwaltungsbeamte), Nissen (Ital. Landeskunde), Mau (Pompeji) optime de his rebus pro sua quisque parte meruerunt, tamen ad commercium commeatumque explicandum data opera nondum satis adhibitae atque exploratae esse videntur. Quae cum instrumento domestico q. d. potissimum comprehendi soleant ac minus curari quam inscriptiones aeri vel marmori incisae, tamen quid vel ex vilissimis notis enucleari possit, modo omnia colligas et intento animo excutias, e. g. Rostowzew egregia tesserarum sylloge ostendit. Quare non inutile esse putavi ex vasorum imprimis quibus merces condiebantur inscriptionibus quamvis exiguis et obscuris atque neglectis quantum quidem possem aliquid colligere ad commercii mercatorumque rationes accuratius cognoscendas.

Amphorarum igitur inscriptiones tractare constitui; nam etiamsi merces interdum doliis cistis saccis cupis ligneis conditae venerint, tamen amphorae ad commercii rationem explicandam fere solae in usum veniunt, cum praeter vasa fictilia omnia fere iam dudum perierint. Atque cum dolia mercibus impleta pondere graviora essent quam quae commode loco moverentur, amphoras utpote

capacitate magis idonea maximo in usu fuisse consentaneum est (cf. Ch. Morel apud Daremberg-Saglio s. v. amphora). Quare etiam hoc factum est, ut non modo ad mensuram amphorae Capi-



tolinae temporibus imperatorum capacitas vasorum omnium exigeretur, sed etiam navicularii, quantum quaque nave oneraria contineretur, numero amphorarum indicarent, cum loquerentur de navi

duorum vel trium milium amphorum[1]. Nec non operarii portus forique simpliciter ἀμφορεαφόροι vocabantur (Poll. VII 30); cf. etiam monumentum (ap. Baumeister, Denkmäler d. kl. Alt. tab. 1688) in quo homo amphoram dorso ex navi ad ripam portans cum tribus puellis liquorem aliquem ex amphora effundentibus conspicitur[2]. Alia in tabula (a Jahnio edita, Ber. d. Sächs. Gesellsch. 1867 p. 78) etiam grana amphoris infusa ex agris in horreum convehi videmus. Cum autem usus amphorarum tantus tamque varius fuerit, facile fieri potuit, ut amphorarum fragmentis in unum locum congestis haud procul ab Emporio urbis Romae haud parvae altitudinis mons Testaceus exstrueretur et cum aliis in regionibus imperii Romani tum maxime Pompeis in horreis cellisque mercatorum hominumque privatorum reliquiae amphorarum seu integrae amphorae satis multae invenirentur atque adhuc inveniantur.

Sed ut cognoscamus quid amphorae novi doceant de commercio, hac ipsa re excellit amphora, quod ut Plauti verbo utar (Rud. 478) '*litteratast : eapse cantat quoia sit*'. Inscribi solet aut titulo ornari. Atque multi scriptores inscriptiones, notas, titulos, tesseras, pittacia iis indita esse tradunt (cf. Morel ap. Daremberg-Saglio l. l.). Cum vero pittacia tesseraeque perierint, nobis de reliquis quaerendum est. Atque inscriptionum omnium longe plurimae sunt sigilla signaculo plerumque in ansis, interdum aut in collo aut in ventre aut in pede acuminato impressa. Multae autem amphorae etiam titulos plerumque in ventre pictos, paucae stilo scariphatos exhibent. Neque mirum est plurima exstare sigilla impressa ansorum utpote firmiorum ac duriorum, rariores superesse inscriptiones in ventre fragiliore pictas; accedit quod hae etiamsi exstant saepe legi non possunt, cum litterae atramento seu carbone seu cressa seu minio seu viridi aut albo aut rubro colore pictae haud raro evanidae sint vel omnino exstinctae.

De sigillis signaculo impressis.

Cum in sigillis signaculo impressis figlinae, fundi, praedia, urbes, domini, servi, liberti, officinatores, diffusores, curatores cellarum, viri, mulieres, mercatores singuli vel socii nominentur, nonnulla milia sigillorum quae diversissimis in terris eruta sunt,

1) Cf. Plin. N. H. VI 82 '*navium magnitudo ad terna milia amphorum*'. Cic. epist. 12, 15, 2 '*naves onerarias, quarum minor nulla erat duum milium amphorum*'. 2) Cf. tab. p. 3.

inter se conferre constitui, ut aliquid de origine amphorarum et de commercii rationibus extricarem. Atque primum quidem quam plenissime colligenda erant atque litterarum ordine disponenda, adiunctis etiam signaculis ex aere quibus sigilla amphoris imprimebantur, quantum quidem exstant; nam cum ii qui instrumentum domesticum CIL. edebant partem tantum exemplorum praesto haberent et plerumque volumen edendum cum singulis voluminibus iam editis conferre satis haberent, nobis totius Corporis instrumentum diligenter perscrutandum erat, cum permultae inscriptiones in tribus atque adeo in pluribus terris repertae sint, ut et eorundem signorum exempla omnia compararemus et si fieri posset amphorarum patriam indagaremus.

Quod cum instituerem, in difficultates incidi haud parvas. Ne dicam de obscuritate lectionis aut de mutilatione verborum aut quod maxime dolemus de raritate indiciorum unde aliquid de tempore inscriptionum colligi possit — quomodo litterae interpretandae sint, non satis liquet. Saepissime enim nomina, num eadem sint, propter varietates scribendi pernosci non potest. Tum servorum nomina, tum dominorum priore loco posita videntur esse; servorum: CIL. (quod in sequentibus omittam) V 8112, 41 Fuscus Seri Hilari, V 8112, 37 Eros C. Epidi, XV p. II 3588 Felix L. Rufini curator cellae vinariae, XV 3459 Felix Pulli, X 8047, 15 Phileros M. Fulvi ser(vus), VIII S. III 22637, 86 Pyrr(h)us Canidi M. s(ervus); dominorum: XIII 3 I 10002, 533 a) Uritti Se . . . b) Uritti Epa . . . c) Uritti Fes . . . d) Uritti Eu . . . f) Uritti Er . . . g) Uritti Pus . . .; contra V 8116, 24 Q. Fabi Hermetis (signaculum ex aere), V 8116, 35 L. Lol. Hermetis (signac. ex aere), XV 3877 T. Cesati Hermetis, XV 4705 (C)lodi Herm(etis), XV 4668 C. Fuf. Herme(tis) nomina primo loco posita servorum esse putes licet (etiam XV 2913 a '*Hermes*' nomen domini esse videtur), et cum duo signacula CIL. V (Ital. sup.) ex aere sint, in Italia superiore fabricam vel officinam Hermetis fuisse indeque reliquas amphoras exportatas esse satis constare videtur; attamen cum in amphora XV 4705 '*(C)lodi Hermetis*' g(arum) scombr(i) conditum esset, ut ex titulo picto apparet, idem dominus intellegi non posse videtur, quia ex Italia superiore garum exportatum non est.

Atque adeo nomen eiusdem domini aut servi tum primo tum secundo loco positum videmus: V 8112, 37 EROS · C · EPIDI, XI 2 I 6695, 40 a EROS · C · EPI, sed XV 2801 C · E · ER(os).

Accedit scripturae varietas quae quam fortuita aut legibus

soluta fuerit, illustratur exemplis his: XIII 3 I 10002, 349 a) Maturus, c) Maturus f(ecit), d) et e) Maturi; aut sigilla *'duorum C · L · M'* vel *'C · L · M fratrum'*: XV 2976 a) II · C · L · M, b) II CCLLM, XV 2977 C · L · M · FF, XIII 3 I 10002, 305 C · L · MFF.

Quanta autem omnium sit nominum similitudo et varietas, ex his exemplis perspici potest, quae diversorum hominum esse putaverim: M. Aem. Rus(tici) XV 2692 Romae; VII 1331, 6 in Britannia, XIII, 10002, 89 multa exempla in Germania et Gallia; M. Aem. E. XV 2691 h Romae; XIII 10002, 88 Vechten; M. Ae. Alex. XV 2689 Romae; XII 5683, 21 Viennae, Genavae; M. Aem. Pac(i)di XV 3395 Romae; XII 5683, 23 Viennae; M AE R̄ V 8112, 8 Nizzae; M. Aemili Bassi V 8116, 9 Ventimigliae (signaculum ex aere).

Vides quot quantisque difficultatibus implicetur, quisquis signa impressa omnia uno ordine comprehendere voluerit.

Exemplis tandem collatis atque litterarum ordine dispositis difficultas alia atque multo maior oblata est, cum constitui non posse videretur origo amphorarum. quae in omnibus fere partibus orbis terrarum inventae erant. *'C. Antoni Quieti'* amphorae. ut exemplum afferam, repertae sunt: 1) Romae XV 2703; 2) in Gallia meridionali quattuor locis, XII 5683, 28; 3) in Hispania II 4968, 18; 4) in Britannia Londini VII 1331, 13 (VII 1331, 80 NON · QVI, dubium non est, quin perperam lectum sit pro ANTON · QVI, quae forma sigilli etiam aliis locis occurrit); 5) in Italia septentrionali prope Cortonam XI 2 I 6695, 12; 6) Stabiis X 2, 8333, 1; 7) C · ANT · Q · Nizzae V 8112, 10; 8) C ANT C in Germania et Gallia permultis locis XIII 10002, 104; 9) Augustae Vindobonae III 60007, 2. Quid ergo de origine amphorarum statuendum est tot exemplis tot in terris repertis? Quid quod ne signacula quidem ex aere facta, quibus in fabrica sigilla imprimebant (quaeque praecipue Mommsen in CIL. V respexit, cum in ceteris voluminibus eorum minus ratio habita sit), tamen non semper originem amphorarum certo designare videntur, cum non modo vasa sed etiam signacula ex aere ipsa fabricarum celeberrimarum alias in terras translata esse sciamus. Illustratur enim *'la dipendenza di tre differenti figuline dalla medesima firma di fabbricatori di anfore'* (Dressel Bull. com. 1878 p. 137) sigillis his: II AVREL HERACLAE ‖ PAT ET FIL 1) F(iglina) CRVM, 2) F(iglina) RAR, 3) CEPAR; i. e. duo Aurel(ii) Heraclae-(enses) pat(er) et fil(ius) habebant tres figlinas, quorum amphorae ex figlina Grum(ensi) Romae XV 2569—73, et in Germania prope Lodenberg XIII 3 I 10002, 4, ex figlina Cepar(ia?) oriundae Romae

XV 2564—2568 repertae sunt, tertiae ex figlina BAR (ita enim legendum esse docet XV 2561 II AVR HERACLAE || PAT ET FIL F BAR) etiam in Britannia Camuloduni VII 1331, 141 et VII 1331, 20, et in Gallia Autun XIII 3 I 10002, 2 prodierunt.

Itaque cum vasa fictilia diversis locis facta nomen eiusdem domini exhibentia alias in terras devectas esse videamus, ubi forte nomen figlinae seu loci deest, qua ex regione amphora venerit, incertum manebit. Accedit quod etiam fundi vel praedia Romanis divitioribus in diversis Italiae partibus erant. Neque enim dubium est, quin e. gr. Maecenas, cui in Gallia Cisalpina vineae magnae erant (Plin. N. H. XIV 67), etiam in Campania aut in Sabinis habuerit fundos; qui opera Plinii Secundi legerit, saepe fundorum et Galliae Cisalpinae et Etruriae et aliarum mentionem fieri haud ignorabit. Quare fieri potest, ut origo amphorarum iam non pernosci possit, nisi forte adscriptum est, quo ex fundo provenerit ut IV p. II 5577 de Formiano dol(ium) XXV. In singulis enim fundis amphorae fingebantur, si materia idonea aderat (cf. XV p. II 2604 fig. fund. Doppiani), ita ut tum fundus (XIII 3 I 10002, 53) tum figlina (XV p. II 4350) nominetur.

In nonnullis amphoris montis Testacei nescio quam ob causam nomina oppidorum adscripta sunt. Quas amphoras ob nomina oppidorum Hispanorum, quae aut ansis impressa aut saepius in titulis pictis scripta sunt, Dressel omnes ex Hispania Romam et in reliquas partes imperii occidentales advectas esse contendit (XV p. II pag. 492); Hirschfeld autem copia amphorarum eadem nomina exhibentium, quae in Gallia repertae sunt, adductus de origine Hispanica ita dubitat, ut magnam partem earum ex Gallia meridionali Romam advectam esse putet (XII p. 700): etiam ex nominibus urbium originem amphorarum desumere quam difficile sit, vides, cum hac in re viri inscriptionum peritissimi plane dissentiant. Attamen ubi nomina terrarum sive impressa sive picta adsunt, de origine vix dubitare licebit, praesertim cum etiam alia accedant velut in titulo C. Consi Hermerotis. Qua ratione cum numerus sigillorum certae originis omnibus voluminibus CIL. collatis augeri possit, hic mihi nonnulla afferre liceat.

Fig. Cerar (vel Gerar) in Hispania fuisse ostenditur titulo XV 4181 δ, in quo nomen oppidi Cordubae et XV 4227 δ, in quo *'Cerar. Cord'* legitur. Inde igitur proveniunt eadem sigilla ansis impressa amphoris XV 2584 Romae, in Museo Britannico et in Gallia XIII 10002, 14 Heddernheim repertis aut servatis.

C. Consi Hermerotis XV 3823β—3827. In una ex quinque amphoris '*C. Consi Hermerotis*' Romae repertis (3826 δ) legitur '*portense Tutili Pontiani*' quod nomen in titulo monumenti Emeritani (in Hispania) II 550 '*Coracuta Tutilio Pontiani*' . . . occurrit, ut satis constare videatur amphoram origine Hispanica esse. Eodem igitur pertinent XV 4691 g(ari) f(los) Lucr(etianum) C · C · H ·, IV 2583 in ussus C · C · H ·, 2588 liquamen C. Corneli Hermerotis. De '*C. Consi Hermerotis*' amphora liquaminaria prope Bonnam reperta cf. Dressel Jahrbücher d. Vereins v. Altertf. i. Rheinl. 1894 p. 95 sqq.

DOMS XV 2800, a) DOM b) DOMS Romae. XII 5683, 78 in Gallia Aquis Sabaudiae. XIII 10002, 183 Poitiers, Lezoux, Forêt de Compiègne, Bavai, Trier, Solothurn, in fluvio Ill (Mülhausen), Saalburg, Kapersberg, prope Straelen. VII 1331, 43 in Britannia Iscae. In amphoris '*Sex. Fadi Secundi*' Romae repertis XV 3863 —3873 in ansa amphorae 3863 est sigillum 2800 a DOM et in ansa amphorae 3873 sigillum DOMS. Cum in titulo 3871 nomen oppidi Astigis et in uno titulo '*Sex. Fadi Aniceti*' XV 3855—3861 nomen oppidi Cordubae inscriptum sit, de origine Hispanica huius sigilli dubitandum non est.

DASCOL II 4968, 26 in Hispania. origo Hispanica comprobatur amphoris '*M. Valeri Valentis*' XV 4030—4032 Romae repertis, cum in ansa amphorae 4031 sigillum DASCOL, in titulo autem picto nomen oppidi Cordubae et in titulo 4032 nomen Astigis occurrat. XV 2715 Romae. XII 5683, 75 St. Romain.

E. Q. F. AT. XV 2818 Romae. Eadem in amphora nomen Cordubae legitur. XII 5683, 30 Viennae.

F. Scimniani. In amphora XV 3168. 3169 Romae nomen Astigis occurrit. VII 1331, 86 P. Scimniani, in Britannia Eburaci. XIII 10002, 53 Bingen.

II Iul. Trophim. et Zosimi XV 3901. 3902 Romae. In exemplo 3901 nomen Astigis legitur. In ansa 3902 impressum est sigillum idem atque XV 2920 Q. I. AL., in quo titulo nomen Astigis oppidi occurrit. Idem sigillum repertum est XV 2919. 2920 (complura exempla) Romae. XII 5683, 128 Arausione. XIII 10002, 256 Boulogne, Trier, Heddernheim. Cf. XII 5683, 153 M. Iul. Trophimi N. I. Arelate. XIII 10002, 293 IVLI SOSIM. Trion, Wiesbaden.

P. N. N. II S. 6254, 28 Baetica. XV 3041 a—o) P. N. N., p) P. N. N. AR., q) P. NNDB, s) PNNF, v) HSИИԳ. idem sig. XIII 10002, 363 HꝏИИԳ Heddernheim, Romae 43 amphorae. XIII

10002, 362 Rouen, prope Berkach, Darmstadt, Oberflorstadt in castello, Bonn. De amphora Hispanica prope Bonnam reperta cf. Dressel Jahrb. d. Ver. v. Altertf. im Rheinl. 1894 p. 95 sqq. Eaedem XV 3041 d, k, q, vel r. Titulum pictum in exemplo e) nomen Hispalis oppidi exhibentem vide XIII 10003, 1.

Q. ND. XV 3039 a—b) Q. ND. AND; c) Q. ND PRIM. Romae. In amphora 3039 b nomen oppidi Cordubae legitur. XIII 10002, 356 Q. ND. AND Arentsburg. 357 QNDPRI Erbach in castro.

Saxoferreo vel Saxiferri. In amphora XV 4171 nomen Cordubae oppidi occurrit et infra '*fig. Saxo*'. XV 3167 multa exempla Romae. XII 5683, 272 Arelate, Arausione, Trinquetaille in ripa Rhodani. XIII 10002, 46 Poitiers, Clermont, Trion, Autun, Melun, Forêt de Compiègne, Besançon, in fluvio Ill, Bonn, Vechten. ib. 47 S. L. T. SAXꟳERÞ Trion. XII 5683, 160 S. L. T. SAXꟳEF. R. Genavae.

SABINI II 4968, 3 Q. F. SABINVS, Hispania. XV 3934—3938 T. LITVCCI SABINI. In amphora 3935 nomen Cordubae oppidi occurrit. XII 5683, 266 SABINVS Arelate. XIII 10002, 453 Xanten. 229 FIRMAT. SAB Trion. XIII 10003, 53 titulus scariphatus, Xanten.

LIDFIT XV 2631 a) L · I · DF ITALICAE, g) LIDFIT. (permulta exempla in Testaceo). XIII 10002, 21 LIDFIT, prope Abbeville rep. '*Italicae*' est nomen oppidi Baeticae provinciae.

M. VALERI. Multae amphorae Valerii seu Valeriorum Romae repertae sunt, quarum origo Hispanica nominibus oppidorum Cordubae seu Astigis amphoris inscriptis, seu inscriptionibus iisdem in Hispania occurrentibus satis comprobatur; cf. XV, 4002—4032. M. VALERI nomen occurrit in amph. XV 4014 M. VALERI EVTICI, 4028 M. VALERI PRIMIG, 4030 M. VALERI VALENTIS. In volum. III S. I, in quo inscriptiones Pannoniae, Norici, Raetiae editae sunt, 12010, 48 amphora '*M. Valeri Maxumi*' '*liq(uamen) scomb(ri) excel(lens)*' conditum erat. VII 1431, 114 VALERI Londini.

Sed de his plura addere nolo. Nam etiamsi ex exemplis supra propositis de Hispaniarum commercio nonnihil colligi posse videtur atque ex indice omnium harum inscriptionum a me composito etiam plura fortasse enucleari poterant de nominum et amphorarum patria, tamen quam lubrica interim res sit, satis comparet. Etenim quod gravissimum est, ex sigillis qua quidem ratione adhuc edi solent, quaestiones de commercio veterum omnino institui non posse in

propatulo est. Nam ut idem signum esse cognoscamus, non litterae sufficiunt, sed ectypis et formarum imagine opus est, deinde quam accuratissima descriptione et vasorum fictilium et materiae adhibitae, qualem solus fere dedit H. Dressel in egregia dissertatione de amphoris montis Testacei (Ann. inst. 1878 p. 20). Hanc igitur partem quaestionis quae est de titulis impressis aliquo cum fructu promovere non poterit nisi qui ipsas testas inspexerit et examinaverit. Quod cum mihi nondum contigerit, missis his sigillis, quae omnia praeterire nec volui nec licuit, quibusque tantum temporis ac studii impenderam, iam transeam ad eam partem sane haud minus difficilem, sed in qua fortasse operam non prorsus perdidisse videbor, quae est de titulis pictis.

De titulis pictis.

Etiam titulos pictos in multis voluminibus Corporis et in aliis scriptis dispersos, cum a nullo adhuc neque in unum collati neque data opera pertractati sint, ante omnia colligendos et comparandos esse apparet. Sed alia quoque ratione adductus eos accuratius mihi examinandos esse putavi, cum ex eo potissimum genere inscriptionum quae qualesque merces amphoris conditae venerint, cognoscamus multo magis quam ex signaculis impressis quae quo pertineant plerumque incertum est. Nam si de mercibus satis constat, eo facilius de commercio quoque unius cuiusque terrae iudicare poterimus.

Iis qui instrumentum domesticum ediderunt brevioribus tantum adnotationibus titulos illustrare licuit. Quam bene autem vel ea re imprimis Dresselius meritus sit, primo statim obtutu videbit, qui Corporis vol. XV inspexerit. Qui si tamen plane se nescire fatetur, quare non in omnibus amphoris quid conditum fuerit aut alia eiusmodi titulis pictis indicentur, hoc quidem respiciendum est etiam tesseras ac pittacia (cf. Morel apud. Daremb. Saglio s. v. amphora) pro titulis fuisse; ita in cena Trimalchionis (34) Petronii afferuntur '*amphorae quarum in cervicibus pittacia erant affixa cum titulo*'. Pittacia autem perierunt, exstant ipsae amphorae duriores. Neque vero semper necesse erat inscriptione omnia indicari, unde veniret amphora, quid inesset, quis esset officinator, cum plerumque magis quam nunc fit alius aliam mercem emeret venderetque mercator, vinarius vinum, olearius oleum, salgamarius fructus conditos, salsamentarius salsamenta, murarius muriam, liquaminarius liquamen.

Quare mercatores hominesque alii ex ipso sigillo impresso fundi vel officinae, unde venisset amphora, quid inesset perfacile perspiciebant. Atque talia plerumque suffecisse inde apparet, quod in sigillis signaculo impressis atque in titulis pictis saepius eadem nomina occurrere videmus: Saxoferreo XV 3167 sigil. sign. impressum, XV 4171 titulus pictus est. Sals(ense) XV 3164 sigil. sign. impressum est, Salsense etiam in titulo picto montis Testacei legitur. F. Ceraria sig. sign. impressum est XIII 10002, 14 et XV 2584, sed tit. pict. XV 4181. Figlina vel potius fundus Scimniani occurrit in sig. sign. impresso XV 3169 et XIII 3 I 10002, 53 et in titulo picto XV 4350. Virginenses nominantur in sig. sign. impressis XV 2627 et XIII 3 I 10002, 56 et in titulis pictis XV XV 4189 et 4472. M. Utan. Hymen legitur in titulo in amphora stilo inscripto vel scariphato XV 3546 et in titulo picto XV 4657. Cum fundi etiam figlinas haberent (XV 2604 fig. fund. Doppiani), unum sigillum seu fundi XIII 3 I 10002, 53 seu figlinae XV 4350 satis erat. Quas inscriptiones et impressas et pictas etiamsi saepius idem significare probabile est, tamen in iis potissimum amphoris titulos pictos additos esse putaverim, quae non ex fundis ipsis sed a mercatoribus in tabernas deportabantur, id quod comprobari videtur inscriptionibus diversa nomina exhibentibus. *'P. S. Aviti'* fundus vel officina celeberrima erat, cuius amphorae repertae sunt Romae XVI 3143, in Hispania II Suppl. 6254, 34 et ibid. 37 Barcinone, Italicae; in Gallia XII 5683, 251 (a—d) et 252 Foroiulii, Arelate, Fins d'Annecy, Trinquetaille in ripa Rhodani, in Gallia et in Germania XIII 3 I 10002, 434 Clermont, Ainay, Lyon, Autun, Amiens, Boulogne, Windisch, Langres, Köln. Sigillum eiusdem officinae invenitur Romae in compluribus amphoris, quae omnes in ansis sigillum impressum P. S. AT, in ventre titulos diversos pictos exhibent XV 3638 C. Atili Secundi, XV 3650 Clodi Prisci, 3685 ꝺ Mauri, 3666 MM Seiorum, quae nomina mercatorum esse puto, qui ex officina P. S. Aviti merces acceperunt.

De vino.

Iam si quaerimus quid amphoris condi solitum sit, longe plurimis in amphoris vinorum nomina ipsa seu alia verba genus vini meri aut facticii significantia occurrere videmus. Atque ab iis incipiamus, quibus genera Italica designantur. Graeca enim vina quamquam Plautus Graecos procul dubio fontes potius quam usum

Romanorum secutus alia non commemorat genera et Cato artibus ea imitabatur, tamen imprimis temporibus posteris parva admodum auctoritate apud Romanos fuisse certum est, cum Romae unum solum genus, Pompeis tria tantum in amphoris nominentur. Italici autem vini genera ex temporibus consulatus Opimii (120) et bonitate et copia tantopere aucta erant, ut Italia '*intellegente suum bonum*' (Plin. N. H. XIV 94) vina diligentius curaret diffunderetque[1]). Unde Varro r. r. I 2, 7 exclamat: '*An Phrygia magis vitibus cooperta, quam Homerus appellat ἀμπελόεσσαν, quam haec (sc. Italia)? aut Argos . . .?, in qua terra iugerum unum denos et quinos denos culleos fert vini, quot quaedam in Italia regiones?*' Itaque etiam Galenus medicus, quamquam genera Graeca bene novit, tamen Italica multo pluris aestimat saepiusque commendat. Non solum Falernum omnes in terras exportari (εἰς ἅπασαν γὰρ σχεδόν γε τὴν οἰκουμένην XIV 77), sed etiam quam maximis potuit laudibus elatum (cf. XIII 513, XIV 25, X 831 sq. alibi) saepissime abhibendum esse dicit[2]). Tanta enim dignitate id genus esse putavit, ut aliud tum demum sumendum esse diceret, si Falernum in promptu non esset (XIII 405). Atque etiam alia genera Italiae ita praeferebat Graecis, ut semel '*Graecum*' (XIII 533), persaepe autem nullo nomine adiecto '*Italica*' praescriberet[3]).

Quo plura autem sunt genera vini, quo magis varia atque diversa est bonitas, eo diligentius indicari oportet, quod genus vini atque ubi natum sit aliaque multa. Atqui nonnullis in amphoris nihil indicatur nisi quo ex vitium genere vinum factum sit. Ex generibus vero primum apud Romanos in auctoritatem venerat semperque celeberrimum remansit Amineum[4]). Cum vites Ami-

---

1) Fortuna secunda amphoram eius anni servatam esse voluit. In collo enim amphorae Faesulis repertae XI 6697, 1 nigro colore scriptum est: B(onum?) || L. Op(imio) Q. F(abio) M(aximo) || cos(ulibus).

2) VI 275. 334. 802. 803. VIII 774. X 831 sq. 835 sq. XI 87. XII 594. 596. 728. XIII imprimis 405. 513. 659 et 32. 33. 36. 57. 64 bis. 84. 186. 224. 244. 261. 283. 285. 291. 300. 308. 404. 506. 514. 529. 773. 788. 789. 825 bis. 832. 1031. 1049. 1053. XIV 20. 25. 27. 28. 29. 77.

3) XII 763. 774. 786. XIII 88. 184. 259. 304. 310. 345. 524 bis. 541. 590. 1019 bis. 1020. 1021. XIX 736. (De vinis Italicis cf. etiam Lumbroso ad Expos. tot. mundi v. 427.)

4) Cf. Cato r. r. VI 4; VII 1; CVI 2. Varro I 25; VI 4. Vergil. Georg. II 97. Colum. III 2, 7. ibid. 10 et 28; ibid. 7, 2; 9, 2. XII 19, 2. ibid. 41, 1. Plin. N. H. XIV 21. 22. 41. 46. 95. Galen. XIV 16. 581. VI 337. 806. X 833. 835. XI 441. XII 931. XIII 101. 219. 265. 289. 324. 525. 659. Pallad. III 9, 4. Oribas. V 6 p. 349.

neae solae, ubicumque erant, vinum pulcherrimum redderent (Pallad. III 9, 4; Colum. III 2, 7) neque degenerarent ut Falernae, non erat quod vinitores diligentius regionem indicarent. Ita legitur Amin(eum) XV 4510, Am(ineum) XV 4533 et 4534, Faecula Aminea IV 5730. Attamen in amphora XV 4532 '*Amineum Campan(um)*' adscriptum docet id genus in Campania natum esse. Permultis enim locis vites Amineae serebantur: ad Vesuvium montem (Colum. III 2, 10. Galen. X 833), ad alios colles Neapolitanos (Galen. XIV 16), ad Sorrentum (Colum. III 2, 10; Plin. N. H. XIV 22), ad Salernum Macr. III 20, 7), ad Scantiam in Campania (Varro apud Plin. N. H. XIV 47), in Bruttia (CIL. X 114 v. 29), in Apulia (Hesych. v. Ἀμιναῖον), Ardeatino in agro (Colum. III 9, 2), in Carseolano (Colum. ibid.), in Albano (Colum. ibid.), in Sicilia (Galen. XIII 659 et XIV 16), in Syria (Plin. N. H. XIV 41), in Bithynia (Galen. VI 337 et XIV 16, Oribas. V 6 p. 349), ad Tmolum montem Lydiae (Prob. ad Verg. Georg. II 98).

Faecula Aminea Musae ab Varia Potita inscribitur IV p. II 5730. Cum faecula ex vino Amineo, quod genus inter optima numeratum esse vidimus, facta dicatur, dubium esse non potest, quin hic non de vino crasso, turbido, infami agatur, quale a Martiali (I 103, 9 Veientani bibitur faex crassa rubelli; I 26, 9 a caupone . . . faex Laletana) significatur. Quaeritur quid faecula haec fuerit. Atque faex vinorum apud Romanos multo in usu erat. Cato (r. r. 153) faece '*ad vinum faecatum faciendum*', quod servi bibebant, utebatur. Faece vini dulcis admixta vinum durum suave fieri Palladius (XI 14, 5) et Columella (XII 28) docent (cf. Hor. sat. II 4, 54 *Surrentina vafer qui miscet faece Falerna)*. Atque adeo vinum mucescens, quod iam vappa erat, in faecem vini boni infusum servari putabatur[1]). Neque vero faeculam Amineam iis rebus inservivisse puto, sed, cum Galenus XII 490 faecem vini ustam a Romanis φέκλην appellari dicat (. . . τρυγὸς οἴνου κεκαυμένης, ἥν Ῥωμαῖοι φέκλην καλοῦσιν), sine dubio idem erat, quod nos '*gebrannter Weinstein*, *Weinsteinsalz*' nominamus et quo medici permultum utebantur[2]). Quae opinio medicamentum quoddam significari etiam nomine Musae, quod ad-

1) Cf. K. B. Hofmann, Getränke der Griechen und Römer vom hygienischen Standpunkte. Deutsch. Arch. für Geschichte der Medizin, 6 [1883] 278.

2) Cf. Hippocr. I 685. Galen. XIV 173. 392. XII 490. 491. 1001. Plin. N. H. XXI 148. XXIII 63—65. Scribon. 228 et 230. Veget. III 26, 3. VI 16, 1. Cf. etiam Hor. sat. II 8, 9 '*pervellunt stomachum* . . . . *faecula Coa*'.

scriptum est, comprobatur. Galenus enim in capitibus, quae sunt de compositione medicamentorum secundum locos, saepe ad praecepta Musae medici recurrit[1]). Hac inscriptione ergo indicatur faeculam ex optimo vitium genere secundum praecepta Musae medici factam et haud scio an cum aliis medicamentis a Varia Potita compositam esse.

Ex Aminearum vitium quinque generibus (Plin. N. H. XIV 21) uvae Gemellae, quae ita vocabantur, quod duplices uvas exigebant (Colum. III 2, 7), nobilissimae erant (Plin. N. H. XIV 22). Vinum ex iis natum Gem(ellum) XV 4572 dicebatur (cf. etiam IV 2677 ΓΕΜΕΛΛΟϹ ‖ C · V · F.[2]).

Apianum XV 4536 vinum erat ex apiana uva, praeter Amineam celeberrima (Pallad. III 9, 4 Colum. III 2, 17 et XII 39, 3 Plin. N. H. XIV 24). Quamquam hoc genus, '*cui apes dedere cognomen praecipue earum avidae*' (Plin. ibid.), inscriptione significari puto, tamen etiam de vino apianis (Kamillen) condito cogitare licet, cum Isidor. (Orig. 17, 5, 20) iis herbis vinum dulce fieri dicat.

Helveolum XV 4574. Helveola (Cato cap. XXIV et VI 4, Varro I cap. XXV ubi Keil legit '*helvola*') vel helvola (Colum. III 2, 23) vel helvia (Plin. N. H. XIV 46) genus vitis erat, quae aeque atque Aminea locis soli ostentis conserebatur (Cato VI 4, Varro I cap. XXV, Pin. N. H. XIV 46). Quamquam Cato (l. c.) helveoli vini faciundi rationem docet, cum ad helveolum etiam Apicium et defrutum addendum esse dicat, tamen nihil obstat, quin inscriptione vinum merum significari putemus.

Plurimis vero notis indicatur, qua in terra, quo in agro, quo in fundo '*natum*' sit vinum. Ac primum quidem inter triginta fere nomina vinorum Italiae, quae in amphoris leguntur, nullum saepius occurrere quam Falernum mirum non est. Non modo Romae XV 4511. 4532. 4559, sed etiam Carthagine VIII S. III 22640, 21. 22. 26 amphorae repertae sunt, in quibus vini Falerni mentio fit[3]).

---

1) Galen. XII 737 πρὸς ὀξυδερκίαν 'Αντωνίου Μούσα. Cf. etiam ibid. 739. 740. 741. XIII 14. 47. 57. 61. 104. 108. 206. 263. 326, cf. etiam Pauly-Wissowa, Real-Encyclop. s. v. Antonius 79.

2) De genere et usu Aminei cf. Bluemner ad Ed. Diocl. II 4 et Olck in Pauly-Wissowa s. v. De adulteratione Aminei Hofmann pag. 283.

3) Fortasse tamen miretur quispiam Falernum exportatum esse Carthaginem, cum eae regiones ipsae vindemiis ita abundarent, ut passum eorum aliis in terris valde probaretur (Plin. N. H. XIV 81; Pallad. XI 19, 1) et '*uvae fabriles gloria praecipua*' ibi essent (Plin. N. H. XIV 16). Sed cum '*vina non alibi tristiora*' (N. H. XIV 14) essent quam in Africa, '*nam Africa*

Nonnulla autem vina agri Falerni [1]) primo ante et post Chr. n. saeculo tanta in nobilitate erant, ut in amphoris etiam regio diligentius indicaretur. F(alernum) Faus(tianum) XV 4553 vinum dulce (Galen. XIV 20. X 831 sq. VI 801) maximae bonitatis (Plin. N. H. XIV 62), in agro Faustiano, qui nomen a Sulla Fausto dictatoris filio traxerat (Plin. ibid.), genitum est. Aliter explicanda esse videtur inscriptio XV 4554 Fal(ernum) Mas(sicum); nam cum vinum Falernum non Massicum, Massicum autem non Falernum esset, utrum Falernum cum Massico confusum amphora conditum an vinum ex Falerna vite Massico in monte natum esse putabimus? Iam primo ante Christum natum saeculo Falernum Carthaginem exportatum esse vidimus. Quo ex tempore auctoritas Falerni ita augebatur, ut magis probaretur quam Massicum, cuius agri vites omnium quas terra sustinuerat in nobilitate vini principes fuisse (non *'esse'*) Columella dicit (III, 8). Paucis annis post etiam Gauranum cum Massico certabat (N. H. XIV 64). Exportatione autem Falerni in dies magis aucta mercatores copiae potius quam bonitati studere (N. H. XIV 62) cogebantur, ut aliis quoque vinis, quae in confinibus agri Falerni aut extra nata erant, ea nota praenobili ornatis [2]) Falernum aeque ac nostris temporibus Burdigalense aut Burgundium notionem certae vitis sed vini regionis amplioris acciperet. Plinius quidem se scire ait vites *'e Falerno tralatas vocari Falernas'* (N. H. XIV 38). Massicum autem Falerno subditum et tamquam generis speciem comprehensum esse e xeniis Martialis apparet, cum XIII 111, quamquam inscriptum est *'Falernum'* tamen sequatur: *De Sinuessanis venerunt Massica prelis.*

Alia quoque genera in circuitu agri Falerni nascentia, quae

---

gypso mitigabat asperitatem nec non aliquibus partibus sui calce' (N. H. XIV 120), praeter Falernum etiam Ves(uvinum) VIII S. III 22640, 31, Puteol(anum) ibid. 20, Set(inum) ibid. 30, Mesopotamium (in Sicilia natum) ibid. 8, Mamer(tinum) ibid. 60, Carthaginem exportari videmus. In aliis amphoris aut inscriptionibus *‚vet'* aut consulum nominibus vinum infuisse indicatur, quod haud scio an ex iisdem regionibus huc advectum sit. Atque cum alterius aetatis consules non nominentur nisi primi ante Chr. n. saeculi et cum omnes amphorae eodem loco, Carthagine *'in muro veteris arcis'* repertae sint, omnes iisdem temporibus in Africam devectas esse concludi potest. Quodsi res ita se habet, viticulturam Italiae iam primo a. Chr. n. saeculo tantam fuisse videmus, ut non solum vinum Falernum sed alia quoque genera maioris famae exportarentur.

1) De situ cf. Weber, De agro Falerno et Nissen, Ital. Landesk. II 2, p. 689.

2) De Falerni adulteratione Galen. XIV 77.

iam afferam, pro Falerno vendere mercatoribus haud difficile erat. S t a t a n u m enim a Falerno *'bonitate non longo intervallo'* aberat (Plin. N. H. XIV 65), ἐμφερὴς τῷ Φαλερίνῳ et κουφότερος erat (Athen. I 48 p. 26e). Inscriptionem autem Stat(. . . .). M. F. A XV 4672 *'Statanum'* interpretandam esse puto, cum *'Falerno contermina Statana'*, *'quae ad principatum'* venerant (N. H. XIV 65) multo maiore fama essent quam Statoniensia vina Etruriae (N. H. XIV 67). *'Iuncta iis praeponi solebant C a l e n a'* (N. H. XIV 65). Καλ(ηνός) XIII 3 I 10005, 21. Falernum enim ad inferius Savonem flumen, Statanum ad medium, Calenum ad superius nascebatur. *'Molle'* Calenum (Iuv. I 69), cum κοῦφος, τοῦ Φαλερίνου εὐστομαχώτερος esset (Athen. I 48 p. 27), vinis fortioribus Campaniae praeponebatur (N. H. XIV 65)[1]).

Sequitur PTE XV 4625, Sub radicibus montis Massici, haud procul ab agro Falerno et a Faustiano agro, qui *'circiter IIII milia passuum a vico Caedicii, qui vicus a Sinuessa VI M passuum'* (N. H. XIV 62) aberat, genus aliud Falerni P e t r i n e n s e nascebatur; Porphyrio enim (ad Hor. ep. I 5, 5) Petrinum vicum et locum in agro Falerno situm esse dicit. Quod genus quamquam a nullo scriptore praeter Horatium commemoratur, tamen in amphorarum notis occurrere puto, nam signum amphorae vinariae legi posse mihi videtur *'Petr(inense)'*, cum ab Horatio l. l. vinum *'inter Minturnas Sinuessanumque Petrinum' laudetur*[2]). Petritem autem Arabiae (Plin. N. H. XIV 75) significari verisimile non est, cum nota litteris Latinis scripta sit. Vini autem F o r m i a n i apud scriptores clarioris fit mentio in dolio IV p. II 5577 Idibus de Formiano dol(ium) XXV.

E regione oppidi, a quo nomen duxit, vinum C a p u a n u m, ΚΑΠΥΑΝΟʻ IV 2833, Καπο(υανὸς) Λύτ(τιος) IV p. II 5555 gignebatur[3]). ΚΑΠΥΑΝΕΙCΙΑ ΖωCΙΜΟΥ IV 2826 vinum fuisse verisimile non est; haud scio an medicamentum fuerit (cf. i. p. 33). Quamquam vinum C u m a n u m non nisi a Iuvenale (XI 57) et Athenaeo (I p. 26f.) commemoratur, tamen fortasse amphora IV p. II 5553 *'C)uma(num) P. S. C.'* conditum fuit. In ora maritima sinus Neapolitani gignebatur V e s (u v i n u m) VIII S. III 22640, 31. Vinum enim sub radicibus montis Vesuvii natum significari puto,

1) De Caleno cf. etiam Strabo V 4, 3; Hor. carm. I 20, 9. I 31, 9. IV 12, 13 sqq.

2) De situ vici Petrini cf. Nissen, Landesk. II p. 665.

3) De Caulinis iuxta Capuam nascentibus cf. Plin. N. H. XIV 69.

cum eodem loco (Carthagine '*in muro veteris arcis*') amphorae prodierint, quibus Fal(ernum) VIII S. III 22640, 26, Puteol(anum) l. c. 20, Set(inum) l. c. 30, Mesopotamium (Siciliae) l. c. 8 continebatur. Lymp(a) Ves(uviana) IV p. II 5622 quid fuerit infra ostendam. Haud procul ab eo monte Pompei(anum) IV p. II 5559) nascebatur, cui '*summum decem annorum incrementum*' erat '*nihil senecta conferente*' (N. H. XIV 70). '*In parte Gauri montis Puteolos spectante*' (N. H. XIV 64) Gaur(anum) IV p. II 5511 colebatur, quod genus cum Massico certavisse iam supra diximus (N. H. XIV 38. 64, cf. etiam Iuv. IX 57, de natura Gal. X 833, Athen. I 26 f.). Ibidem gignebatur Puteol(anum) VIII S. III 22640, 20 (Plin. N. H. XIV 64). In parte adversa sinus Neapolitani maxima in laude erant Surrentina. Cum a multis plerumque a medicis '*propter tenuitatem salubritatemque convalescentibus maxime probata*' essent[1]), mirum non est saepissime Surrentinum in amphoris legi: Surr(entinum) IV 2555. IV p. II 5525. 5560. 5561. Su(rr)entinu(m) IV p. II 5514. Atque quibusdam famae maioris speciebus sicut in Falerno vidimus alia nomina adiunguntur: Surr(entinum) Fabian(um) IV p. II 5521. 5522, Sur(rentinum) Fabianum ib. 5562, Surr(entinum) Clod(ianum) XV 4592. Restat Trifolinum Campaniae, Trifolinu(m) Tiburtianum IV p. II 5518. 5570, quod genus, quamquam a Iuvenale (IX 56) non laudatur, tamen a Plinio (N. H. XIV 69) inter nobilia Campaniae vina numeratur et apud Martialem (XIII 114) '*inter vina tamen septima vitis*' erat.

Quibus ex titulis '*Campaniae felicis*', quae provincia nostra aetate multo minus vini quam reliquae Italiae partes profert, quindecim notas diversas, dimidiam fere partem omnium, in amphoris occurrere videmus. Neque usquam tam diligenter genera vini seu fundi indicantur quam in his. Exportabantur autem Romam: Amineum Campanum XV 4532, Falernum XV 4511. 4532. 4559, Falernum Faustianum XV 4553, Falernum Massicum XV 4554, Statanum XV 4672, Petrinense XV 4625, Surrentinum XV 4592; Pompeios: Capuanum IV 2833, IV p. II 5555, Cumanum IV p. II 5553, Gauranum IV p. II 5511, Surrentinum IV 2555 IV p. II 5514. 5521. 5522. 5525. 5560. 5561. 5562, Trifolinum IV p. II 5518. 5570, quibus accedit Pompeianum ipsum IV p. II 5559; Carthaginem: Falernum

1) N. H. XIV 64; cf. etiam N. H. XIV 22. 34. 64; XXIII 35. 36; Strabo V 4, 3; Hor. sat. II 4, 35 sq.; Colum. III 8, 5 et ibid. 2, 10; Mart. XIII 110; Galen. X 831; XI 648; XIV 15. VI 275. 334; Athen. I p. 26 e et p. 27 b.

VIII S. III 22640, 21. 22. 26, Vesuvinum ibid. 31, Puteolanum ibid. 20; in Germaniam Calenum XIII 3 I 10005, 21.

E Sicilia '*quartum curriculum publicis epulis optinuere a divo Iulio*' Mamer(tina) VIII S. III 22640, 60 '*circa Messanam . . . genita*' (Plin. N. H. XIV 66). Pro Mamertinis plerumque subdita sunt (Plin. ibid.) Taur(omenitana) IV p. II 5563—5568 in collibus eiusdem nominis nata, qui vitem '*eugeniam . . . cum generositatis cognomine misere Albano . . agro*' (N. H. XIV 25). Vinum Mesopotamium VIII S. III 22640, 8, quod Villefossius nomen accepisse putabat a Mesopotamio loco maritimo inter Agrigentum et Syracusas sito (It. Ant. p. 96 Wess.), a nullo scriptore nominatur. Fortasse idem significatur vinum in amphoris Pompeianis Me IV 2602 et Mes. 2603, nisi forte Mesogites (Plin. N. H. XIV 75 Mesogites, quod '*capitis dolores facere compertum est*') intellegendum est. Titulos duos Mamertinum et Mesopotamium in amphoris Carthagine repertis legi haud mirum est, cum Africa, quae multum vini ex reliquis Italiae provinciis (Campania et Latio) importabat, sine dubio etiam ex Sicilia proxime sita genera celebriora advexerit.

Auctoritas secunda Latio provinciae erat et imprimis ei parti, quae agro Falerno vicina erat. *Fal(ernum) Mas(sicum)* XV 4554, *Petr(inense)* XV 4625, *Formianum* IV p. II 5577, quae in confinio gignebantur, iam supra commemoravimus. Temporibus Horatii Cae(cubo) XV 4545 '*generositas celeberrima erat*', quod '*in palustribus populetis sinus Amynclani*' nascebatur; sed Nerone regnante '*iam intercidit incuria coloni locique angustia, magis tamen fossa Neronis quam a Baiano lacu Ostiam usque navigabilem incohaverat*' (Plin. N. H. XIV 61). Fama Caecubi transiit ad Set(inum) VIII S. III 22640, 30, quod '*divus Augustus . . . praetulit cunctis et fere secuti sunt principes*' (Plin. N. H. XIV 61). Una cum nobilissimis vinis Campaniae enumerantur '*Albana praedulcia ac rara in austero*', quae '*ad tertiam palmam varie venere*' (N. H. XIV 64), Alb(anum) diff(udit) Ganus l(ibertus) XV 4531 (amphora exhibet notam anni p. Chr. n. 26). Atque cum cetera vina Latina, quae etiam antiquis temporibus multa fuisse probabile est, Romae potissimum consumerentur nec peculiaribus notis distinguerentur, Albanum et in medicina Falerno praeferebatur (Plin. N. H. XXIII 33 '*sequens aetas Albanum aut Falernum*' sc. probavit, XXIII 35 '*Albana nervis utiliora, . . . austera vel Falerno utiliora*') et a multis scriptoribus valde laudabatur[1]). Minore in laude erant Fundanum XV

1) Strabo V 3, 6; Hor. carm. IIII 11, 1 sq. sat. II 8, 16 sq. '*Albanum, Mae-*

4566—4569 '*et alia ex vicinia urbis*' (Plin. N. H. XIV 65) velut Pri(vernatia) XV 4587. Vinum Signinum '*austeritate nimia continendae utile alvo inter medicamina*' numerabatur (N. H. XIV 65). Cum vina vetustate dulciora fiant et gratiora sint, '*Sig(ninum) pervet(us)*' XV 4740 iam non austerum esse nota '*pervet(us)*' praedicatur. Vina Latii provinciae praeter Setinum et Formianum omnia Romam exportata esse non mirabimur.

Ex provinciis reliquis Italiae exstant perpaucae amphorae. E Samnio Benev(entani) XV 4544, e Bruttiis Reg(ini) XV 4590 inscriptiones supersunt, quorum mentio fit apud Athenaeum I p. 31 e et 26 e. Ex Etruria Veientanum XV 4595, cuius '*faex crassa*' in multa infamia erat, Romam in urbem haud procul sitam devectum a pauperibus bibebatur (cf. Mart. I 103, 9. II 53, 4. III 49, 1; Hor. sat. II 3, 142 sq.; Pers. V 147). Optimum vinum eius provinciae, Lun(ense) vet(us) IV 2599—2601, nam '*Etruriae Luna palmam*' habebat (N. H. XIV 68), usque Pompeios exportabatur.

Quamquam in Gallia Cisalpina antiquis temporibus non minus quam hac aetate vitium cultura florebat, cum ibi praeter quindecim fere genera vel nomina vinorum quae scriptores commemorant '*in sinu Hadriatici maris non procul Timavo fonte*' vinum Pucinum gigneretur, quo '*aliud aptius medicamentis*' non erat, ita ut Plinius id genus primo loco ante Setinum et Falernum enumeratum magnis laudibus efferret (N. H. XIV 60), tamen nullum praeter vinum Marit(imum) XV 4662 in amphoris occurrit. Sed hac quoque inscriptione Dressel vinum '*maritimum*' appellatum esse putat factum uvis in agro maritimo natis, qua in re Columellam (XII 25, 4) auctorem se sequi dicit. Columella autem, cum rationem generis cuiusdam vini facticii, Coi aromatici, describat, tantum suadet, ut, si forte ager maritima in ora sit, de alto quam quietissimo mari sumatur aqua[1]). Equidem '*Maritimum*' potius dici putaverim vinum ex Alpibus Maritimis ortum, cum Plinius (N. H. XIV 41) genus quoddam uvae commemoret '*quae Raetica in Maritimis Alpibus appellata est*' et (N. H. XV 66) Liguriam maritimam Alpibus pro-

cenas, sive Falernum Te magis appositis delectat, habemus utrumque'; Colum. III 2, 16. III 8, 5; Plin. N. H. XIV 25. 64. XXIII 36; Mart. XIII 109; Iuv. V 33. XIII 214; Galen. X 833. VI 275; Athen. I p. 26 d. f. 33 a τῶν δ' οἴνων χαριέστατος ὁ κατὰ τὴν Ἰταλίαν Ἀλβανὸς καὶ ὁ Φαλερνίτης.

1) '*Quodsi ager maritimus est, silentibus ventis de alto quam quietissimo mari sumenda est aqua, et in tertiam partem decoquenda, adiectis, si videbitur, aliquibus aromaticis ex iis quae supra retuli, ut sit odoratior vini curatio*'.

ximam uvas cadis conditas gypso includere dicat. Quae opinio etiam inscriptione XV 4663 confirmatur, ubi ℛ ΛℛՆ perperam legi mihi videtur pro ℛ_ ΛℛՆ (i. e. Alp. Mar.)[1]).

Ex vinis Gallicis Baeter(rense) XV 4542 et Baeter(rense) alb(um) 4543, cuius generis auctoritas intra Gallias maxime constitit (N. H. XIV 68), Romae quoque in amphoris occurrit. Reliqua enim genera, Viennense et Massiliense, cum et fumo et herbis noxiis (N. H. XIV 68) et pice (N. H. XIV 67) corrumperentur, in Italia acceptissima non erant (Plin. l. c. et Mart. XIII 123. X 36 sqq. XIV 118) et plerumque amore patrio a Celtis permutabantur (N. H. XIV 57). Attamen etiam his in regionibus vina Italiae maiore in auctoritate fuisse videntur, cum in poculo Vosego in monte reperto XIII 10018, 135 (Dessau 8609 g) '*parce picatum, da Amineum*', pro genere picato Galliae Italicum ut videtur vinum postuletur.

In Hispania Laur(onense) vet(us) XV 4577—4579 et IV p. II 5558, quod elegantia nobilitabatur, '*Italiae primis*' collatum est (Plin. N. H. XIV 68). In altera enim amphora Pompeiana legendum esse puto non Laur(entinum) sicut Brizio opinabatur, sed Laur(onense) cum vini Laurentini nulla fiat mentio; vinum autem significari verisimile est, cum signum IIII (sc. annorum) adscriptum sit (de situ agri Lauronensis cf. Huebner II p. 482). Gaditanum XV 4570, quod Bluemner (Röm. Privataltertümer p. 200 adn. 14) vini notam esse putat, quid sit, in capite, quod est de garo, explicabitur.

Graeca vina iis temporibus quorum amphorae exstant, non iam tanta auctoritate apud Romanos fuisse, quanta Plauti aetate videri possint, iam supra commemoravimus; perpauca enim genera in amphoris leguntur. Vinum quod Cato et posteri imitabantur Coum erat; Coum vet(us) IV p. II 5536 legitur. Ad IV p. II 5590 Leuc(...)vet. Mau adnotat vini albi veteris nomen plenum quod fuerit non liquere. Primum de vino Leucadio cogitavi, quod a Plinio (N. H. XIV 76), a Plauto Poen. 699, ab Athen. I p. 29 a. 33 b commemoratur, sed '*Leucocoum*' significari fortasse veri est similius, sc. Coum aqua marina mixtum, quod '*translatum in album mustum leucocoum*' appellabatur (N. H. XIV 78). Apud Horatium (sat. II 4, 29) herba quadam '*sed albo non sine Coo*' alvus dura laxatur. Quod genus Leucocoi a Romanis tanti aestimabatur, ut iam Cato '*Coum vinum ex Italico faciendi rationem*' demonstraret

1) De vino eius regionis cf. etiam Strabo IV 6, 2; Plin. N. H. XIV 125. 132; de viticultura Ligurum Mart. III 82, 22; cf. Speck, Handelsgesch. d. Altert. 3 I § 672 p. 367.

(apud Plin. N. H. XIV 79). Vinum porro, quod amphora IV 2565 '*Coum Gran* ‖ *of.* ‖ *Romae A.ERIO FELICI*' continebatur, Coum dictum esse puto, non quod Coo ex insula venerat, sed quod variis condimentis illi simile redditum erat; neque enim de fundo Graniano, sicut editor interpretatus est, sed ut vinum facticium ex of(ficina) prodiit (cf. supra Plin. XIV 79 et Cato r. r. CXII *vinum Coum si voles facere, quemadmodum facias*'). Quare intellegendum esse mihi videtur Coum vinum facticium ex officina Grani sive Granianum i. e. secundum praecepta Grani factum[1]). Cuius rei exempla similia in capite de garo infra proferentur. IV 5540 '*Coum ARNDVA lect. ab Nicandro Dorotheo*' quid sid nescio. An vox '*arundo*' latet? cuius genus quoddam et apud medicos (Gal. XII 857) et ad vinum facticium conficiendum in usu erat (Plin. N. H. XIV 107 et 112 Aromatites ex calamo).

Ex insulis Pompeios advecta sunt: Cnidium IV p. II 5535, cui generi auctoritas ut protropo erat (N. H. XIV 75 cf. etiam Athen. I p. 32 e), et Cret(icum) excel(lens) IV p. II 5526, quod vinum videtur fuisse Creticum, quamquam vinum huius insulae rarius commemoratur (Gal. XIII 8. 212. Expos. tot. mundi 575 sq.) quam passum[2]). Ex Asia passum Lycium IV p. II 5594 exportabatur, quod genus similiter ac Creticum a medicis magni aestimabatur (Plin. XIV 117). Quae genera cum omnia Pompeis reperta sint, Romae nihil nisi Autocr(atum) XV p. 4539 legitur, quod Dressel vinum esse putat ab Athenaeo his verbis laudatum: χαριέστατος δ' ἐστὶν ὁ Χῖος καὶ τοῦ Χίου ὁ καλούμενος Ἀριούσιος· διαφοραὶ δὲ αὐτοῦ εἰσι τρεῖς· ὁ μὲν γὰρ αὐστηρός ἐστιν, ὁ δὲ γλυκάζων, ὁ δὲ μέσος τούτων τῇ γεύσει αὐτόκρατος καλεῖται. Dresselio adstipulor, praesertim cum vinum quinque demum annorum, ut ex titulo optime perscripto apparet (natum a. a. Chr. n. 18, diffusum a. a. Chr. n. 13), diffusum sit; Graeca enim vina tam tarde maturabantur, ut artibus praecocem redderent vetustatem (Plin. N. H. XIV 78 et 79).

Omnia fere nomina vinorum imprimis Italiae, quae maxime a Plinio aliisque scriptoribus laudibus efferuntur, in amphoris occurrere vidimus. Quodsi tituli aliorum generum, quae ut vina famae minoris a Plinio non commemorantur, sicut Beneventanum et Rheginum, in

1) De familia Graniorum Puteolis oriunda I 577 cf. Marx ad Lucilii frgm. XI 411; Granii homines infimi ordinis sed quaestu suo divites erant.

2) Cf. Mart. XIII 106; Iuven. XIV 269 sqq.; Gal. XII 437. 495. 630. 736. XIII 3. 11 bis. 15 ter. 26. 29. 31. 32. 33. 50 bis. 52. 70. 215. 290. 306. 323. 355. 356 XIV 93. Athen. X p. 440 e.

amphoris leguntur aut quae infamia dicuntur sicut '*Veientani faex crassa rubelli'* (Mart. I 103, 9), hoc non tam casu factum esse puto, quam quod et vinorum auctoritas temporibus mutatis multum mutabatur, ut Plinius ipse semel atque iterum testatur, et quod ratio habenda est copiae vini, quo singulae regiones abundabant. Quare fieri potuit, ut vinum Picenum, quod a Plinio non laudatur, in Edicto Diocletiani (II 1) primo loco poneretur, Tiburtinum secundo numeraretur (II 2)[1]).

Iam quaeramus, quae vina in singulas regiones vel oppida advecta sint. Cum longe plurimi tituli in amphoris Romae, Pompeis, Carthagine repertis exstent, imprimis de harum urbium commercio commeatuque vini nunc certiores fimus. Romam autem undeviginti genera importata esse videmus; ex provinciis vicinis Caecubum XV 4545, Albanum XV 4531, Fundanum XV 4566—4569, Privernas XV 4587, Signinum XV 4740, Veientanum XV 4595; ex Campania Amineum Campanum XV 4532, Falernum XV 4511. 4532. 4559, Falernum Faustianum XV 4553, Falernum Massicum XV 4554, Statanum XV 4672, Petrinense XV 4625, Surrentinum XV 4592; ex Samnio Beneventanum XV 4544; ex Brutiis Rheginum XV 4590; ex Alpibus Maritimis Liguriae Maritimum XV 4662. 4663; ex Gallia Baeterrense XV 4542. 4543; ex Hispania Lauronense XV 4577—4579; Chio ex insula Autocratum XV 4539. Pompeios quindecim genera: Pompeianum ipsum IV p. II 5559, Capuanum IV 2833, IV p. II 5555, Cumanum IV p. II 5553, Gauranum IV p. II 5511, Surrentinum IV 2555. IV p. II 5514. 5521. 5522. 5525. 5560. 5561. 5562, Trifolinum IV p. II 5518. 5570, Formianum IV p. II 5577, Lunense IV 2599—2601, Tauromenitanum IV p. II 5563—5568, Mesopotamium (?) IV 2602. 2603, Lauronense IV p. II 5558, Coum IV p. II 5536, passum Lycium IV p. II 5594, Cnidium IV p. II 5535, Creticum IV p. II 5526. Carthaginem: Falernum VIII S. III 22640, 21. 22. 26, Vesuvinum ibid. 31, Puteolanum ibid. 20, Setinum ibid. 30, Mamertinum ibid. 60, Mesopotamium ibid. 8; in Germaniam: Calenum XIII 3 I 10005, 21 et Amineum 3 I 10018, 135 (sec. inscriptionem poculi).

De variis vinorum maxime facticiis generibus.

Ex omnibus vinitoribus imprimis Gallos provinciae Narbonensis maxima in infamia fuisse iam supra commemoravimus, cum et fumo

---

1) Vina Palmensia in agro Piceno nata in ultimo de vinis Italicis capite (XIV 67) commemorantur.

et herbis ac medicaminibus noxiis vinum corrumperent (Plin. N. H. XIV 68). Etiam Graecis et Afris opprobrio vertebatur, quod et copia nimia aquae marinae et gypso et calce vinum mitigare studebant (Plin. N. H. XIV 120). Quamquam igitur id genus vini praestantissimum esse putabatur, quod suapte natura placere potuit (Colum. XII 19), tamen iam mustum a curatoribus cellarum remediis atque artibus tractabatur, id quod innocenti quodam verbo '*mustum curari*' dicebant (Pallad. XI 14). De variis condimentorum generibus optimam instituit quaestionem K. B. Hofmann in libro qui inscribitur: Getränke der Griechen und Römer vom hygienischen Standpunkte (Deutsch. Archiv f. Gesch. d. Medizin VI. Leipzig 1883), atque ostendit quam noxia interdum illa '*curatio*' valetudini fuerit[1]).

'*Mad*' IV p. II 5591, quid fuerit Mau se ait nescire. Fortasse vinum intellegendum est mado factum, quod genus vitis albae a Plinio (N. H. XXIII 21) commemoratur.

'*Limp(a)*' XV 4736, similia IV p. II 5605—5627, 5628 '*Limp(a) vet(us) III (sc. annorum) M. Porci Nymphodi*'. Idem signum occurrit etiam in IV 2588 et in aliis inscriptionibus variis formis velut LYMP vel LVMP VET vel LVM VET vel LIMP vel LYMFA (Inscript. Neap. 7146); quibus hydrogarum significari Dresselius non recte putare videtur, nam ex inscriptione IV p. II 5622 '*Lump(ae) Ves(uvinae) M. Valerii Heliadis*' non garum sed vinum fuisse apparet. Accedit quod Marcus Valerius Abinnericus mercator vinarius fuit, qui etiam IV 5611 lympam (14 exempla) et IV 2599 – 2601 vinum Lun(ense) vendidit. Quodsi IV 2585 LIME///VE λıııλ M. VALERI · ABINNERIC legitur, cum de vino Lime(nsi) praeterea ignoto editor cogitet, equidem pro certo habeo LIMP(A) vel LIMF(A) VE(T) legendum esse, ut in reliquis eiusdem mercatoris M. Valerii Abinnerici amphoris. Quid autem fuerit limpa, haud satis constare videtur. Neque tamen '*inpermixtum limporem*' (i. q. limfa, cf. Nonius p. 2124) Lucilii (Marx Luc. frgm. incert. sed. 1196), neque lumpam Vesuvinam, neque Limpam vet. trium annorum genus quoddam hydrogari aut aquam limpidam, sed vinum purum, non turbidum aut faeculentum fuisse putaverim, cum Palladium (XI 14, 12) sequar auctorem, qui docet, qua ratione '*vinum eadem die ex austero limpidum atque optimum*' fiat. '*Item faeculentum statim limpidum*

1) De curatione vini cf. etiam F. C. Hessel, Die Weinveredelungsmethoden des Altertums verglichen mit denen der heutigen Zeit, Marburg 1856 p. 40—61 et Theod. Keppel, Die Weinbereitung im Altertum und in der Neuzeit, Progr. Bayreuth 1896.

reddi' dicit, si curationem aliquam quam praescribit, adhibueris. Mercatores igitur ea inscriptione indicavisse mihi videntur vinum limpidum ac perfectum esse nec iam necesse esse vinum purgare sive id facere quod Horatius suadet, cum dicat: *'vina liques!'*

Vinum alio genere mixtum dicebatur *'Confusu(m) vinum'* IV p. II 5584, quod haud scio an fuerit vinum acerbum cum dulci confusum. Vinum melle mixtum, *'mulsum'* IV p. II. 5592. 5526, ex innumerabilibus fere generibus vini facticii (Plin. N. H. XIV 98) quae *'omnia ad medicinae usum'* (Plin. ibid.) pertinebant, potio acceptissima erat, qua et ad alia et ex temporibus Tiberii Claudii principis (Plin. N. H. XIV 143) ad gustationem utebantur Romani (Petron. cena Trim. 34), unde etiam *'Gustaticium'* IV p. II 5589 nominabatur. Inter dulcia genera lautissima (de quibus cf. Plin. N. H. XIV 92 et 93) etiam vina numerabantur murrae odore condita, quae herba in nota *'mirris'* IV p. II 5743 significari mihi videtur. Quamquam Plinius quinquaginta fere herbas ad *'Aroma (titen)'* IV p. II 5583 faciendum idoneas enumerat (N. H. XIV cap. 107—112), vinum quod breviter *'conditum'* nominatur (Ed. Diocl. II 17), plerumque factum erat *'pipere et melle addito'* (Plin. N. H. XIV 108), ut ea genera *'alii condita alii piperata'* (Plin. ibid.) appellarent, sicut in Edicto Diocletiani praeter *'vinum conditum'* (II 17) *'absinthium'* (II 18) et *'rhosatum'* (II 19) commemorantur. A palma nomen petivisse videtur *'Palma(ticum)'* XV 4586, quod genus ex palma factum (N. H. XIV 107) Plinius *'palmeum'* vocat; odore arguto fuisse videtur, nam *'vinum quod laudare cupiens Palmaticum nominavit antiquitas, . . . ita redolet ore ructatum, ut merito illi a palma nomen videatur impositum'* (Cassiod. var. XII 12). *'Laccat(um)'* XV 4734, *'Laccat(um) AIIIA CCCCXXV D. Albuci Aucti'* XV 4733, liquoris ut videtur genus erat vino (aut garo) simile et conditum herba, cui nomen erat lacca (Apul. de medicam. herb. IV 12 ed. Ackermann). Quam opinionem Dresselii Mau IV p. II 5640 in dubium vocat. Sed si IV p. II 5645 et 5646 LACARGVE, quod legendum esse puto *'laccatum argutum vetus'* et 5647 contuleris, recte de vino aut garo laccato arguto condito cogitari mihi videtur, cum etiam Plinius de odore arguto (N. H. XV 18 *'odor in tenui oliva argutus'*) et Palladius de sapore arguto fructuum loquantur (III 25, 4 contrahi pomis argutos sapores. IV 10, 26 melioris magnitudinis et saporis arguti ficus); cf. infra de muria arguta. Aliud genus vere facticium erat *'Acin(aticium) bonum'* XV 4529, quod aut ex acinis uvae passis factum plerumque *'passum'* vocaba-

tur, aut cum acinos etiam herba odorifera esset (Plin. N. H. XXI 174), vinum illa conditum erat. *Passi* IV p. II 5594 autem nomen a participio verbi pandere deducendum est, cum ad siccandum panderentur uvae, non sicut Plinius (XIV 16) interpretatus est: '*a patientia nomen acinis datur passis*'. '*Passum a Cretico*[1]) *Cilicium probatur et Africum*' (Plin. N. H. XIV 81). Amphora IV p. II 5594 '*passum Lycium*' continebat. Permultum passum Romam ex Creta advectum esse, cum pauperes et aegrotantes eo potissimum uterentur, testes sunt Martialis (XIII 106) et imprimis Galenus (cf. supra p. 21 de vino Cretico).

Restat, ut de mustis decoctis (de quorum generibus atque conficiendi ratione vide Bluemner, Röm. Privatalt. p. 202), pauca dicamus. '*Def(rutum) exc(ellens)*' IV p. II 5585 et '*defrit(um) a Romulo*' IV p. II 5586 sicut sapa et caroenum mustum defervitum i. e. '*decoctum*' erat, quod verbum in Edicto Diocletiani (II 15) occurrit. Quo genere pro melle saepissime utebantur Romani, cum '*omnia in adulterium mellis excogitata*' essent (Plin. N. H. XIV 80; de vario defruti usu cf. Hofmann p. 38 sq.), atque etiam ut vinum fortius redderent (Cato r. r. 24; Colum. II 22, 4. XII 37 Plin. N. H. XIV 121). Quodsi Clodius Clemens quidam IV p. II 5588 se vinum '*sine defrito*' ('*Ab Clodio Clemente de (fundo) superiore sine defrito*') vendere praedicat, huius amphorae vinum sua ipsum natura forte esse dicit, sine artificio.

De garo.

Praeter vinum maxime '*garum*' amphoris condebatur. Quid quoque nomine earum mercium, quae ex piscibus conficiebantur, significetur, scriptores non omnes consentiunt, quamquam dubium esse non videtur, quin quattuor genera quae novimus: garum, liquamen, muria, hallex eadem qualitate vel bonitate non fuerint. Etiamsi quivis sucus ex piscibus plerumque ex intestinis factus garum appellabatur (Diosc. II 34 γάρον δὲ πᾶν τὸ ἐκ ταριχηρῶν ἰχθύων καὶ κρεῶν), tamen compluribus rationibus adductus idem significari puto inscriptione '*liquamen*'. In eodem enim titulo IV 5683 '*Liqu(amen) g(ari) f(los) scombri*', utrumque, liquamen atque garum, nominatur; utrumque genus ex iisdem quoque piscibus, plerumque ex scombris vel murenis conficiebatur; liquaminarius in Corp. Gloss. VI 649 γαροπώλης vocatur. Liquamen enim nomen vere

1) '*Graeco*' Mayhoff, sed cf. Martial. XIII 106 et Galen. in praef. vini Italici.

Latinum fuisse existimo, cum garum ex pisce, qui Graece γάρος dicebatur (Plin. N. H. XXXI 93), a Graecis nomen accepisset. Atque etiam alia ratione ea opinio comprobatur. Cum garum proprie dictum id appellaretur, quod ex piscibus concoctis liquefactum et cribro percolatum erat (de conficiendo cf. Daremberg-Saglio Dict. II 1459), Romani eam materiam liquidam breviter liquamen vocabant, sicut etiam sucum ex piris factum liquamen appellabant (Pallad. III 25, 12). Residuum autem gari *'atque imperfecta nec colata faex'* (N. H. XXXI 95) allex erat, quo condimento viliore servi potissimum et pauperes vescebantur (Cato r. r. 58). Quid autem muria fuerit, plane non liquet. Liquaminis genus ex scombro, plerumque autem ex thynnis alio modo atque aliis condimentis atque garum confectum fuisse videtur, cum Galenus (XII 377) alteri alias vires attribuat [1]).

Garum, cum maioris pretii esset quam vinum aut merces aliae, amphoris maioribus conditum non erat, sed persaepe urceis, in quibus haud raro nil nisi *'garum'* aut *'gari flos'* aut *'liquamen optimum'* (IV 2589—2594) aut *'liquamen primum'* (IV 2595) legitur. *'Gari flos'* et *'gar(i) f(los) flos'* IV p. II 5673, ubi *'flos'* bis occurrit, sicut *'liq. flos flos'* IV. p. II 5706, optimum eius rei genus designabat. Similiter enim praedicatur flos vini, olei. lactis, farinae, siliginis, salis, calcis (Pallad. I 41,3). Quae iura cum magno venirent, haud raro in titulis diligenter adscriptum est, qualia sint: hallex optuma IV p. II 5717, hallex optima IV p. II 5718, mur(ia) arg(uta) exce(llens) flos Cn. Domiti Feli(c)ionis XV 4723 (vocabulum AR C . . . quod integrum legi non potuit et quo quid significetur Dressel XV 4741 et Dessau 8597 b incertum putant, ARG(uta) intellegendum esse mihi videtur, cf. quae ad *'laccatum argutum'* dixi s. p. 24); aut unde factum: gar. f. flos muren(ae) IV p. II 5673, g. f. scombri IV p. II 5679—5682, liqu(amen) g. f. scombri ibid. 5683; aut a quo conditum: mur(iae) f(los) L. Aimili (P)udentis XV 4721, (m)uriae f(los) ab Umbricia IV p. II 5723, g. f. scombri optimum ex officina A. Umbrici Abascanti IV p. II 5689. Praeterea garum secundum praecepta hominum quorundam factum esse indicatur, velut *'garum Romulianum'* secundum praecepta Romuli, *'garum Lucretianum'* secundum Lucretii (XV 4691 *'g. f. Lucr(etianum) C. C. H.'* i. e. C. Corneli Hermerotis, cf. IV 2588 liquamen C. Corneli Herme-

---

1) De liquaminum generibus vide etiam Bluemner, Röm. Privataltert. p. 187 sq.

rotis). Similiter legitur in urceis: g. f. scombr. Scauri ex officina Scaur. IV p. II 5694, garum scombri Scauri ex officina Ae. IV p. II 5687, g. f. scombri Scauri ex officina Agathopi IV p. II 5690, g. f. scombri Scauri ab Umbricia IV p. II 5688, gari flos Liciniorum L. Ter. Severi XV 4690.

Optimum genus, '*g(arum) socciorum*' IV p. II 5659 quod Carthagine Nova exportabatur, maximo in pretio erat '*singulis milibus nummum permutantibus congios binos*' (Plin. N. H. XXXI 94, cf. Bluemner ad Ed. Diocl. III, 6). Aliud vero garum, '*gar(um) cast(imoniale)*' IV p. II 5660—5662, IV 2569 et '*mur(ia) cast.*' IV 2609, quod '*castimoniarum superstitioni etiam sacrisque Iudaeis dicatum*' erat, fiebat '*e piscibus squama carentibus*' (Plin. N. H. XXXI 95) aut de piris (Pallad. III 25, 12). Saporem iucundum gari liquaminarii variis condimentis additis[1]) effecisse videntur (cf. supra '*muria arguta*' XV 4725); cum in compluribus amphoris IV 2573 et IV p. II 5674—5678 inscriptio exstet '*g(ari) f(los) per se*', garum sine condimentis factum intellego, sicut supra in amphoris vinariis indicatum vinum '*sine defrito*' conditum repperimus.

Optimum atque plurimum garum ex Hispania exportabatur: Carthagine Nova garum, sociorum, ex Baetica '*Mal(acitana*' sc. muria) XV 4737. 4738[2]). In titulo VI 9677 in Italia reperto occurrit '*negotians Salsarius*', qui est in '*corpore negotiantium Malacitanorum*'. Ex eadem provincia '*Gaditanum*' XV 4570 exportabatur; qua amphora garum, non vinum (ut dicit Bluemner, Röm. Privataltert. p. 200 A. 14 Dresselium secutus) conditum fuisse puto, cum nomen '*Gemelli*', quod hac in amphora exstat, etiam XV 4719 legatur, ubi adscriptum est '*liq(aminis) fl(os) excel(lens)*. Cum portus Gaditanorum magno floreret commercio, interdum verbo '*portense*' XV 3826 δ origo amphorae mercisque indicatur. Rariora fuisse videntur gari genera in Italia confecta: in amphora XV 6488 nil nisi '*g. f. Puteolani*', XV 4686 nil nisi '*gar Pompeian(um)*' legitur (de garo Pompeiano cf. Plin. N. H. XXXI 94), XV 4712 '*liq(uamen) Antia(tinum) exc.*'

Quae iuris genera non solum in cenis aut in coquinis cibis infusa, sed etiam cum fructibus condita esse videntur, cum in titulo IV p. II 5728 CICER || HAL i. e. cicer cum hallece mixtum indicari videatur.

1) Plerumque pipere; in cena Trimalch. c. 36 '*garum piperatum currebat super pisces*'.

2) Cf. Strabo III 4, 2 Μάλακα . . . ἐμπόριον δ' ἐστὶν καὶ ταριχείας ἔχει μεγάλας.

De piscibus conditis.

Neque solum ad garum conficiendum piscibus utebantur, verum etiam ipsi pisces condiebantur, imprimis '*thunni*' (Eckinger, Töpferstempel d. Sammlung d. Ges. Pro Vindonissa, Anzeiger f. Schweizer Altertumskunde 1908 p. 320 No. 37) erant[1]), quorum '*abdo(mina) m(embratim) c(aesa)*' XV 4782 (ita editor coll. Plin. N. H. IX 47: *hi (sc. thynni) membratim caesi cervice et abdomine commendantur)* vel sumina et apud veteres magni aestimabantur (cf. Lucilii frgm. I 49 sq. Marx, ubi '*abdomina tunni advenientibus*' ad gustationem dantur), et nunc in Italia in oleo adservata inter cibos delicatiores habentur (Dressel ad XV 4782). Praeterea occurrunt ‚*Su(er)es*' IV p. II 5534 ad quem titulum explicandum cf. etiam: '*SV MA VR* | *EXCELL* | *λIIIλ* | *M. Cosconi Saturnini*' et ibid. 5635: '*SV MAR* | *EXCEL* | *λIIIλ* | *M. Cosconi Saturnini*'. Quamquam Mau nihil adnotavit, tamen dubium non esse puto, quin his aliisque amphoris sueres conditi fuerint. Nam quod in amphora ibid. 5534 legitur: '*XII · K · DIICII* | *IN · V · K · DIICIIM* | *SVIIS · MASIIRNII*', cum Mau adnotet '*Non agitur de eo quod amphora continebatur, sed scriptor amphora pro tabella usus est, ut hinc de subus memoriae locum inveniret*', equidem non numeros intellego, sed legendum esse puto (factum a. d.) XII k(alendas) Dece(mbres) in(fusum) (a. d.) V. K(alendas) Decem(bres) Su(er)es Ma. Saturnini; quod si ita est apparet in amphoris IV p. II 5632—5635 aut sueres M. Cosconi Saturnini infuisse aut garum eo ex pisce factum a M. Cosconio Saturnino liquaminario, cuius nomen etiam in amphora IV 2636 occurrit, qua liquamen continebatur.

De olivis conditis.

Iam apud Catonem, agricolam parcum, olivis potissimum servi vescebantur, cum magni pretii non essent; quare suadet (r. r. 58): '*oleae caducae quam plurimum condito, postea oleas tempestivas; unde minimum olei fieri poterit, eas condito*'. Olivae igitur, quae neque mensis pauperum neque cenis divitum deerant[2]) et quae etiam a medicis probabantur (Gal. XIV 542), variis modis condiebantur,

1) Cf. Bluemner, Röm. Privatalt. p. 185 et 187 sq.

2) Cf. cen. Trim. c. 31 '*in promulsi dari asellus Corinthius cum bisaccio positus, qui habebat olivas in altera parte albas, in altera nigras*'; cf. etiam Hor. sat. II 2, 46; Mart. I 103, 7; IX 26, 6.

quorum in amphoris non minus sex tituli diversi reperiuntur. Quae immaturae condiebantur *'albae'* XV 4802, maturae *'nigrae'* V 8111, 1 vocabantur (Varro I 66; Col. XII 50, 3. 51, 1; Pallad. XII 22, 5)[1]. Quae in inscriptionibus dulces dicuntur sicut ol(iva) ex dul(ci)[2] V 8111, 2, oliva (a)lb(a) dul(cis) XV 4802, ol(iva) nig(ra) ex dul(ci) excel(lens) V 8111, 1, dulces vocari non quod melle aut defrito conditae dulces sed quod ipsae saporis grati sint, Dressel dicit, cum in Italia olivae aqua salsa conditae etiam nunc dulces appellentur[3]). *'Sine sale in defruto'* (Cato r. r. VII) condita erat *'oliva nigr(a) ex defr(uto)'* (Eckinger, Töpferstempel u. Aehnl. d. Sammlung Pro Vindonissa, Anz. f. Schweiz. Alt. 1908 p. 320 No. 35). Contrarium ei generi dulci videtur esse *'ol(iva) ex am(aro)'* V 8111, 3 (deest in Thesauro l. L.), quae haud scio an aceto condita fuerit. Titulum XV 4803, quem Dressel *'olivas colombares'* interpretatus est, idem significare pro certo habeo atque *'olivas colymbadas'*; colymbas enim quaevis oliva oleo suo condita dicebatur, cf. Plin. N. H. XV 16 *'Sale illae privatim condiuntur et ut reliquae amurca sapave, nec non aliquae oleo suo et sine arcessita commendatione purae innatant, colymbades'*; Athen. II p. 56 b . . . τὰς δὲ κολυμβάδας καλουμένας εὐστομαχωτέρας εἶναι. Athen. IV p. 133 a; Colum. XII 49, 8; Pallad. XII 22, 1; Apic. VI 248. *'Colombares'* autem si in titulo suprascripto recte lectum est, fortasse eiusdem vocis forma vulgaris habenda est, cum etiam in codicibus Palladii l. l. et *'colymbades'* et *'columbares'* (Br. Lugd. E) tradatur. Atque hoc genus olivae conditae acceptissimum fuisse videtur, cum Palladius (XII c. 22) non minus novem rationes condiendi enumeret.

De fructibus aliis sucisve eorum.

Aliarum arborum fructus vel suci eorum saepius praedicantur: melomeli (Col. XII 47, 3), quod genus vasis fictilibus conditum optimum ex Hispania Romam afferebatur (Galen. VI 602). M a l a:

---

1) Qua ratione condiendae sint, a scriptoribus accurate describitur (cf. Plin. N. H. XV 16. XXIII 73; Col. XII 50; Pallad. XII 22; Dioscor. I 138; Geop. IX 33; Oribas. II 69 p. 184.

2) *'Ex dulci'*, *'ex defruto'*, *'ex amaro'* idem significare puto atque *'dulci'*, *'defruto'*, *'amaro'*, cf. Pallad. XIII c. 5 *'Nunc rapa in partes minutas recisa . . . sinapi ex aceto (sicut moris est) temperato mergere et condire curabimus'*. De ratione olivas condiendi ex defruto et ex amaro cf. Pallad. XII 22, 2.

3) Dressel ad XV 4802; sed cf. Pallad. XII 22, 5 qui mel superfundendum esse dicit.

'mal(a) Cum(ana) vir(idia) LXXIII' XV 4783, quae *'et vino et aqua'* coquebantur (Plin. N. H. XV 58); viridis color utrum de immaturitate intellegendus sit an de malorum genere incertum putat Dressel, sed de genere potius cogitandum esse videtur, cum Plinius genus enumeret, quod viride appellabatur (N. H. XV 56; permulta genera alia ab eodem XV 37—58 commemorantur). Cerasia: *'cer. alb'*. IV 2562, et siccabantur et sicut olivae aqua salsa condiebantur (Apic. I 20); Plinii temporibus cerasos a Lusitanis in oram Belgicam et in terras ad ripas Rheni sitas exportatas esse ipse auctor est (N. H. XV 103). Nuces: *'ab Apuleio Vero . . . nuce(s) m(ille?)'* IV p. II 5761, *'quas vilicam recentes in urceo in terra obrutas'* habere Cato iubet (r. r. 143), virides condiebantur[1]). Amphora IV 2568 *'fic(i) Ribe . . .'* et IV p. II 5732 ficos videtur continuisse, quas fictilibus condi dicit Palladius (IV 10, 34 cf. Mart. IV 46, 10 *'Et ficus Libyca gelata testa'*. VII 53, 8 *'Et Lybicae fici pondere testa gravis'*). *'Fabriles'* XV 4805, seu fabriles uvae (Ed. Diocl. VI 92), quae cum vasis fictilibus condirentur *'olares uvae'* (Colum. XII 45) vocabantur, plerumque ex fornacibus Africae Romam alioque exportabantur, postquam *'uvas gloria praecipua in fornacibus Africae Tiberi Caesaris auctoritas adfecit'* (Plin. N. H. XIV 16). Usus piperis, *'pip(er)'* IV p. II 5763, permagnus erat, cum *'cocus ingentem piperis . . . acervum'* consumeret (Mart. VII 27, 7), quod cum aliis speciebus horreis piperatariis Romae Domitiano imperatore exstructis condebatur (Chronogr. a. 354 p. 146 M., cf. Jordan-Hülsen Topogr. 1, 3 p. 7).

De aliis cibariis.

Quamquam ad XV 4621 *'Bor (   ) bibe (?)'* Dresselius adnotat: *'De Bormiis aquis siccativis et podagrae sanandae salutaribus (Cassiod. var. X 297) vix erit cogitandum'*, tamen hoc verisimile duco, cum in tabula quadam picta aquas siccativas amphoris conditas exportatas esse videamus, cf. Hübner, Die Heilquelle von Umeri (Silberschale aus Castro Urdiales bei Santander, worauf die Versendung der Quelle dargestellt ist), Archaelog. Ztg. XXXI (1874) p. 115 tab. 11 = Schreiber, Kulturhist. Bilderatlas T. LXXII 5 et 6. Atque recte opinari videtur Friedländer, Sittengesch. II p. 65: Die in einem Falle (von einer Heilquelle bei Santander) bezeugte Versendung von Mineralwasser hat ohne Zweifel häufig stattgefunden, cum

---

1) In cena Trimalchionis *'turdi . . . nucibus farsi'* appositi sunt (c. 69).

Strabo aquas fontium salubrium ab aegrotantibus bibi dicat Cotiliarum (in Sabinis) V 3, 1; Albularum, Nomenti, Ereti V 3, 11; Aegestarum VI 2, 9.

Frumentum antiquissimis ex temporibus amphoris adservabatur[1]). Quare si IV 2567 inscriptum est '*far*', non tam de farre facticio (Cato r. r. 141, 3) cogitandum est quam de granis ipsis speltae. Quae grana mola contrita '*mol(a)*' IV 2604—2607 et IV p. II 5745—5760 vocabantur.

Cum antiqui eam nondum novissent materiam, quam nos Zucker dicimus, mel maximo in usu fuisse videmus. Apicius etiam ad cucumeres conficiendos mel addebat; '*quin et acetum melle temperabatur*', '*oxymeli hoc vocarunt*' (Plin. N. H. XIV 114; cf. Galen VII 560: ... acetum mulsum ... oxymeli dicunt). Amphora IV p. II 5741 '*mel thyminum*' continebatur, quod quid fuerit Mau se ait nescire. Sine dubio illud mellis genus laudatum erat, quod Plinius thymosum appellat: '*thymosum non coit et tactu praetenuia fila mittit, quod primum bonitatis argumentum est*' (N. H XI 39). Quae '*praecipua cellarum materia*' (N. H. XI 34) '*oculis et ulceribus aptissima*' aestimabatur (N. H. XI 38); colligebatur '*e thymo coloris aurei, saporis gratissimi*' (Plin. ibid.; de mellis thymini virtute cf. Gal. XIV 26 et 27). '*Mella o(dor)ata*' IV p. II 5742 ut vina (Plin. N. H. XIV 80 vinum '*odoratum*'; cf. etiam Isid. orig. XVII 11 olera odorata) herbis odoriferis condita fuisse putari non licet, cum mel bonum per se odoratum esset; Plinius enim dicit (XI 39): '*sequens probatio ut sit odoratum*'. In Ed. Diocl. III 12 mel phoenicinum (Dattelhonig) nominatur[2]).

Quamquam etiam '*in omni melle quod per se fluxit, ut mustum oleumque ... acetum*' appellabatur (Plin. N. H. XI 38, cf. etiam Apic. III 69 et VI 257), tamen '*aceth(um)*' VIII S. III 22640, 46 sine dubio plerumque id erat quod variis ex fructibus fermentantibus maxime autem uvis conficiebatur (Weinessig; de conficiendi ratione cf. Colum. XII 5; Cato 104, 2). Genus vile eiusmodi ex Aegypto in Italiam importabatur, nam Martialis admonet (XIII 122, 1): '*amphora Niliaci non sit tibi vilis aceti*'.

Olei quoque usus maximus erat, cum antiqui butyro non uterentur, et cum magna copia in balneis et lucernis consumeretur.

1) Cf. Archaeol. Anz. Beibl. 1909 p. 364: Zu Gezer (Palaestina) wurden in den Kornspeichern zahlreiche Tonkrüge mit Korn gefunden aus der kananitisch-vorjüdischen Zeit.

2) De cultura mellis cf. Magerstedt, Bilder aus der röm. Landwirtschaft.

Olei flos (Ed. Diocl. III 1), quod *'post molam primam'* erat (Plin. N. H. XV 23), in amphoris non occurrit. Amphora *'olei communis'* XV 4807 plena et amphora XV 4512 *'oleu(m) at lu(cernas) Orfiticum'*, oleum *'tertiae'* sine dubio *'pressurae'* (Colum. XII 52, 16) ex maturis olivis factum continuerunt. Quod genus *'lucernis exile'* (Plin. N. H. XV 25) apud Iuvenalem clientibus in cena apponi videmus, nam *'caulis olebit lanternam'* (Iuv. sat. V 87 sq.), cum dominus *'ipse Venafrano piscem'* perfundat.

IV 2703 LARDU legendum esse puto '*lardum*' vel *'laridum'*, cum IV p. II 5854 /// LAR /// idem et IV p. II 5729 CICER || LAR cicer cum larido (Erbsen mit Speck) inscriptum esse videatur. Etiam *'faba cum rubente lardo'* mixta erat (Mart. V 78, 10); quod genus cibi diebus certis festis ut Carnae (Ovid. Fast. VI 169. Macr. I 12, 33) in cenis apponebatur. Cicer cum hallece mixtum fuisse iam supra vidimus. *'Lardum optimum'* (Ed. Diocl. IV 7) praecipue ex Lucania et Gallia atque adeo ex Hispania (Expos. tot mundi 54 et 59) exportabatur.

Alius cibus mixtus, '*Miscel(lanea) Eucaero Gratidiae s(ervo)*' XV 4806 destinatus esse videtur. Quae amphora, cum oris late patentis sit, cibum quendam mixtum servorum ad usum cotidianum exhibuisse iudico, similem illi quem commentator Iuvenalis (sat. XI 20) *'miscillanea ludi'*, *'genus miserabile ferculi'* et *'cibum gladiatorum'* fuisse interpretatur.

De rebus variis.

Quamquam unguentarii saepe commemorantur IV 609. 2184; VI 999 sqq. 33929; XI 5839; XII 1594; XIII 2602 et alibi et genera cosmetica q. d. permulta erant, tamen in amphoris pauca occurrunt. Cum unguenta seu suci odoriferi in satis magno pretio fuerint, dubium non est, quin mercatores ea genera vasis minoribus, pyxidibus (Iuv. sat. II 141 *'condita pyxide'*) sive ampullis (cena Trimalch. 78 *'ampullam nardi aperuit'*) condiderint. '*Loment(um)*' IV 2597 apud Apicium I 6 ex faba factum ad lavandum pro nitro multo in usu erat[1]). Apud Martialem (III 42, 1 et XIV 60) rugis oblinendis obtegendisque inserviebat. Facies feminae quae *'multo pane'* (Iuv. IV 461 sq.) oblita erat, tum lacte asinino lavabatur: *'lomentum flos ex lacte asinino Uticense'* IV p. II 5738. Psilothru(m) IV 2613 et 2614 plerumque resina factum ad pilos demendos sumebatur.

1) De materia usuque cf. Plin. N. H. XVIII 117; Pallad. XI 14, 9.

Apud Galenum (XI 826) psilothrum genus vitis albae est, quod in medicamentorum numero habetur[1]). Medicamina alia haud scio an condita fuerint amphoris IV 2826 καπυανειοια ΖΩϹΙΜΟΥ et IV 2853 sqq. Διοκλεους Διοδωρου, IV 2874 sqq. Διοκλεους Αγαθῆς, III S. I 7309, 41 DIOCES (Deli), cum Galenus in libro quarto, qui est de compositione medic. secundum locos (XII 753), dicat: ἄλλο Ζωσίμου ἐπιγραφόμενον εὐῶδες, et (XII 758) ἄλλο Διόκλειον ἐπιγραφόμενον πρὸς περιωδυνίας καὶ ἐπιφοράς (cf. etiam supra p. 13 de faecula Amineae Musae ab Varia Potita).

Colore Romani (etiam in amphoris ipsis inscribendis) utebantur minio: '*minia*' IV p. II 6256; plerumque ex Baetica exportabatur (Strabo III 2, 6; XII 2, 11).

De qualitate rei conditae.

A mercatoribus saepe adnotatum est se vendere '*optimum*' (IV 2589—2592; IV p. II 5707—5712), '*primum*' (IV 2595), '*excellens*' (quod de garo XV 4725, de defruto IV p. II 5585, de olivis V 8111, 1 dicitur), '*florem*' (IV 2588 et alibi saepe cf. supra), '*florem floris*' (IV p. II 5668 et 5706), '*florem optimum*' (IV p. II 5689), '*florem excellentem*' (XV 4723), '*lectum*' (IV p. II 5540 Coum . . . lect(um); cf. Hor. carm. III 21, 5 '*quocumque lectum nomine Massicum*'), alia eiusmodi, sicut nunc quoque merces suas quisque praedicat, quae sint '*primae qualitatis*' aut '*ff*' aut vinum quod sit '*lectum*' (Auslese). Aetas vini indicatur consulum nominibus aut verbis '*vetus*', '*pervetus*' aut saepissime formulis his: λIIIλ vel λIIIIλ aliisque. '*Vetus accipietur, quod non est novum i. e. anni prioris vinum appellatione veteris continebitur*' (Digg. XXXIII 6, 11). Etiam novum vinum amphoris conditum fuisse videmus titulo XV 4592 '*Surr(entinum) Clod(ianum) nov(um)*'. Ex omnibus formulis aetatem indicantibus saepissime quattuor annorum occurrit, quod in memoriam reducit illud Horatii: '*Deprome quadrimum Sabina . . . merum diota*' (carm. I 9, 7 sqq.).

Adnotationes variae.

Interdum mandata amphoris inscripta erant. Amphora IV p. II 5788 '*Caecilio Iucundo ab Sexto Metello*' datur aut danda est. In amphora IV p. II 5712 '*liquamen optimum A. Virnio Modesto ab Agathopode*' destinatur. Amphora XV 3623 (tit. scariph.) mit-

1) De psilothris cf. Galen. XII 450 sqq. et Plin. N. H. XXXII 135 sqq.

titur '*C. Iulio Primicenio Roma(m), ut det Tittio Aspro medico*'. Titulo XV 4618 indicatur amphoram '*Euodo Caesaris s(ervo) aut Pisto l(iberto)*' tradendam esse. Atque adeo in amphora XV 4857 epistula quaedam quindecim versuum inscripta est, quam qui scripsit se mittere ait '*obsonia*' quae '*sufficere possint*'.

Compluribus titulis ostenditur mercatores non promiscue adservasse et quod venderent et quod '*usibus cellari*' XV p. II 4807 opus esset, sed in penum sibi separasse. Idem significari incertum est verbo '*pennar(ium)*', quod XV 4741. IV 2596. IV p. II 5638 occurrit. C. Consius Hermeros liquaminarius magnarius erat (XV 4691 '*g(ari) f(los) Lucr(etianum) C. C. H.*'; cf. etiam XV 3823—3827), qui amphoram IV 2583 '*in ussus C. C. H.*' ad suum usum destinavisse videtur; cf. etiam IV p. II 5569 '*Teles(inum) vet(us annorum) quatuor in ussus C. C. H*'.; ibid. 5597 '*Rubr(um) vet(us annorum) quatuor L. A. E.*'; ab altera parte atramento inscriptum est: '*in usus C. C. H.*'; ibid. 5732 '*fic. ribe. in usus C. C. Veri*'.

Amphora IV p. II 5574 Clementi cuidam iter facienti tradita esse videtur, cum adnotatum sit: '*Cl(emens) va(le) felic(iter)*', aut a mercatore amico cuidam vel emptori ad salutandum inscriptum est.

Aliis ex amphoris vinariis quando et quo ex dolio fundi cuiusdam vinum diffusum sit cognoscimus: IV p. II 5577 '*Idibus de Formiano dol. XXV*'; ibid. 5573 '*Idibus Ian. de Asiniano dol. I*'; ibid. 5572 '*XV. K. Ian. de Arriano dol. XV*'. Quando et a quo amphora aperta sit indicatur IV p. II 5532 '*VI. Idus Decembris ab Hermete vini amphora aperta (est)*'. Amphora IV p. II 5528 venit '*ex f(undo) Sittiano imo, quem coluit Martialis ex dote Ic . . .*'; hic diligentissime quo loco fundi vinum natum sit indicatur.

In amphora IV p. II 5526 exstant inscriptiones duae: a) Cret(icum) exc(ellens) | . . .TAPSAL (nomen mercatoris esse puto) | b) v(inum) vet(us) mulsum (rubro colore scriptum). Dubium esse non potest, quin amphora primum vinum Creticum, deinde mulsum vetus exhibuerit, cum inscriptione secunda, quae sola rubro colore scripta est, mulsum inesse indicetur. Quodsi id solum comprobari videtur amphoras evacuatas saepe ad alios usus transisse, ut consentaneum erat, tamen antiquos non sine causa id fecisse certum est. Galenus enim (XIV 19) patrem vinum, ne acesceret, vasis infudisse dicit non recentibus sed in quibus aliquid iam antea infuisset. Etiam in Italia persimile fieri ait se vidisse. Atque adeo testis amphorarum, quibus antea vina vetera condita erant, in pulverem contritis vina recentiora redigi putabantur in meliora atque vetustiora

(Hofmann l. l. p. 282). Quare haud absonum videtur opinari Horatium quoque (carm. I 20) ob eandem causam '*Vile* . . . *Sabinum* . . . *Graeca* . . . *testa conditum*' levisse.

Numeris persaepe inscriptis indicatur, quod sit pondus aut pretium mercis, quae sit capacitas, quota sit amphora fundi vel dolii vel cellae cuiusdam vinariae. Interdum autem occurrunt numeri singulariter scripti sicut CCVVV pro CCXV vel LLLLVVV aut LLCVVV pro CCXV et XXXXX pro L. Dresselius, qui hunc modum scribendi consuetudinem Hispanam vel Africanam esse dicit, se nescire ait, quid sibi velint significentque hi numeri (Ann. p. 164); quos hoc modo explicandos esse arbitror: amphorae vasis minoribus certae capacitatis explebantur; primun servi maioribus deinde minoribus utebantur vasis, quoad plena esset amphora, quodcumque infuserant statim adnotantes, ne memoria turbaretur. Eiusmodi numeros etiam in amphoris Pompeianis inveni: IV 2622 LXVI VI, ubi in fine bis numerus VI, initio decies VI positus est.

Porro in amphora vinaria indicatur, qua nave advecta sit, IV p. II 5894: '*in nave Cn. Senti (H)omeri Ti. Claudi Orp(h)ei vect(a)*'. Quae cum nota navicularii esse videatur, nihil aliud inde colligi potest.

In amphoris tertii p. Chr. n. saeculi saepe reperiuntur notae: '*Acc*' vel '*Act*' cum nominibus primo casu positis. quas Dresselius significare ostendit '*accepit*', cum semel XV 3950 '*accep*' legi possit. Quas amphoras a naviculariis advectas esse conicio. qui '*onus fiscale*' (Cod. Theod. XIII 5, 4) Romam apportabant. A tabellariis a rationibus (XV 4120 . . . vi tabula (. . .); tabularii Hispaniae cit. II 4089. 4181. 5210, Lusitaniae II 4186. 3235 nominantur) eas notas inscriptas esse putaverim non Romae vel Ostiis, ut opinatur Dressel, sed in Hispania, praesertim cum in amphoris legamus: '*devectum Hispalem*' XV 4233, '*devectum Astigim*' XV 4359, '*at port(um)*' XV 4371 (i. e. Gaditanum, cf. s. p. 27). Urbes quae nominantur capita sunt conventuum Hispanorum, ubi tabellarii, quid quaque ex urbe '*accepissent*', et amphoris inscribebant et tabellis mandabant. Romae autem vel Ostiis tabellarius tabellis inspectis '*recognovit*' amphoras, quod verbum vel potius signum persaepe occurrit. Navibus enim, quae '*tabellariae*' dicebantur, ante onerarias profectis earumque adventum indicantibus tabellae apportabantur. Quae opinio eo confirmatur, quod mercatores quoque in portibus exteris habebant, qui merces inspicerent acciperentque. In Museo Britannico ('*Room of Greek and Roman Life*') vidi epistulam primo

p. Chr. n. saeculo scriptam, qua *'the writer Proc(l)eius requests his correspondent to send a suppley of drugs and warns him against sending rotten stuff* (σαπρόν), *which will not pass muster in Alexandria'* (B. M. Papyri No. CCCLVI). Similiter papyro (Mitteis-Wilcken II 2 No. 339) mercator res, quas *'miserat Cornelius Germanus procurator'* eius, se *'salbas sanas recepisse'* dicit; mari autem merces advectae esse videntur, cum trierarchus quidam nominetur.

Quicumque de inscriptionibus et imprimis de amphorarum titulis quaestionem instituturus est, eum exempla ipsa materiae tractandae oculis suis inspexisse atque coram examinasse oportere iam supra commemoravimus. Quodsi equidem, etsi haud multas amphoras praetereundo et quasi per transennam Londini sive Lutetiae Parisiorum in museis perlustravi, tamen hanc quaestionem difficillimam attingere ausus sum, excusabor si omnibus inscriptionibus in unum collatis — titulos pictos dico — et ad nonnullas rectius interpretandas et ad singulas amplius explicandas aliquid profecisse videbor. Quamquam enim multum abest, ut tam bono cum fructu atque tanta eius materiae scientia me quaestionem pertractavisse praesumam, quanta Dresselii, Hirschfeldii, Mauii, ut alios praetermittam, res disceptaverunt, tamen eos potissimum, qui harum rerum difficultatum haud ignari sint, indulgentiam atque veniam tironi non denegaturos esse spero atque confido.

Vita.

Petrus Remark natus sum die XXVIII. m. Februarii a. 1881 Ueberherrni in vico Treverensi patre Ioanne, quem mortuum esse vehementer doleo, matre Maria e gente Haasiana, quam adhuc superstitem esse maxime gaudeo; fidem profiteor catholicam. Quattuordecim annos natus, postquam prima litterarum elementa in ludo communi didici, in gymnasium Bitense receptus sum, quod usque ad anni 1901 tempus autumnale frequentavi; inde in gymnasium Saraviludovicum traductus anno h. s. 4 maturitatis testimonio instructus sum.

Per tria semestria in universitate Monachiensi studiis incubui et philologicis et theodiscis; deinde in universitate Friderica Guilelma Berolinensi studiis deditus, ut ea absolverem, Bonnam me contuli. Examine pro fac. doc. anno 1909 superato in seminarium paedagogicum Saravipontinum receptus, postquam in gymnasium Saraviludovicum missus sum, in gymnasio Hechingensi nunc munere fungor magistri qui theodisce „Hilfslehrer" vocatur. Examen rigorosum ultimo die mensis Ianuarii h. a. Bonnae superavi.

Usus sum praeceptoribus hisce V. V. D. D. Monachiae: Crusius, Furtwängler †, Iwan v. Müller †, Muncker, Traube, Vollmer, v. Wölfflin †; Berolini: Diels, Ed. Meyer, Norden, Paulsen †, Roethe, E. Schmidt, v. Wilamowitz-Moellendorff, Vahlen †; Bonnae: Brinkmann, Clemen, Dyroff, Elter, Erdmann, Gaufinez, Litzmann, Marx, Solmsen †, Wilmanns †. His viris omnibus debitas ago gratias maximeque Eltero, cuius consiliis me usum esse grato animo profiteor.
